BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
42
3 A
41
ROMA

Digitized by Google

SVMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE,

PER QVAESTIONES conſcripta a Reueren. D. Petro Caniſio Theologo ſocietatis Ieſu, & nunc recens ab eodem recognita, & aucta.

ACCESSERE

Preces Horariæ de æterna Dei ſapientia IESV CHRISTO domino noſtro, cum pijs quibuſdam & Chriſtianis exercitationibus. Necnon & Index copioſiſſimus.

PARMAE
Apud Seth Viottum.
M. D. LXV.

12-3
A-41
BIBLIOTECA ... ROMA
VITTORIO EMANUELE

In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe IESVS ſeruos meos multos. Eſa. Cap. LIII.

AD MATTHAEVM
RINVCCINVM CIVEM,
& Canonicum Florentinum,
I.V.peritiſſ. Illuſtriſſimiq;
& Reuerēdiſſ. Alexandri
Card.Sfortię Parmęq;
Pōtificis Vicarium,
Seth Viotti
In Libellum de Summa
doctrinæ Chriſtianæ
per quęſtiones
conſcripta

PRAEFATIO.

NON IGNORAS *Rinuccine optime et ſapientiſſime, in more poſitum eſſe, ut ij, qui typis æneis libros edunt, inſignem aliquem uirum deligant, quem uel*

officio, uel morum integritate, uel doctrinæ opinione boni omnes colant, & obſeruent; cui opus publicandum inſcribant, quò eius ipſius patrocinio illud gratia cohoneſtetur, et illuſtrius reddatur. Cũ igitur aureũ hoc opuſculũ de Sũma doctrinæ Chriſtianæ ab excellenti uiro D. Petro Caniſio cõſcriptum, nunc in manus meas deuenerit, quod pijs mentibus, ac ſacrarum literarum ſtudioſis communicarem, tu mihi primus occurriſti, quem potiſſimum adoptarem; ut nominis tui titulo ipſum per ſe quidem probandum, auctioore etiam honore cumularem. Ad quem enim æquius fuit, libellum hunc mitti, quàm

*ad eum, qui (ut eius familiæ ſplé-
dorem, ut honores, atq; alia for-
tunæ bona, quæ uel indignis de-
ferri ſolent, omittam) diuina
ſtudia in omni uitæ curſu ceteris
rebus prætulerit? cui iuſtitiæ,
cui pietatis antiquiſſima ſit cura?
quem omnes ob prudentiam ue-
nerantur, multi ob integritatem
imitantur, & ob ſimplicem na-
turam ab omnibus pigmentis, o-
mniq́ue faſtu longe remotam in
oculis ferunt? Quod, niſi uere-
rer, ne tuam modeſtiam, quæ te
minime laudari expetit, offende-
rem, profectò commemorarem,
quem te in hoc magiſtratu, uelu-
ti in latiſſimo uirtutum tuarum
theatro præſtes, dum nulli ad te*

aditus intercluduntur, idemque es omnibus, cuius grauitas non tam timetur, quàm comitas diligitur. Sed me reuocat pudor, tenuitatiſq; meæ conſcientia; licet enim tuarum laudum ingreſſus perlate pateat, admodum tamen anguſtus eſt exitus. Quare munuſculum hoc a me ſume, meæ in te obſeruantiæ argumentum, quod quamquam exiguum eſt, minimeque tuæ dignitati conueniens, tamen (quæ tua eſt humanitas) quid a me fieri poſſit, æſtimabis, animumq; non rei pondus appendes. Vale, Parmæ Idib. Martij. M. D. LXV.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

ACedia quid ſit, & de ſex filijs eius. 100
Adulatio quando peccatum alienum facit. 103
Amen qui ſignificet. 15
Aſcenſio Chriſti noſtrę fidei, ac ſpei certitudo eſt. 5
Auaritia quid ſit, quaſque filias gignit. 97

B

BAptizantur paruuli ex traditione Apoſtolica. 32
Baptiſmus quid. 49
Baptiſmus non ſolum adultis, ſed etiam paruulis eſt neceſſarius, & efficax ad ſalutem æternam conſequendam. 50
Baptiſmum iterare nefas eſt. 51
Baptiſmi, Elementum, Verbum, & effectus. 51
Baptiſmus quarum nos rerum admonet. 51
Beatitudines octo, & cur obſeruandæ. 141
Circa Beatitudines duo obſeruanda. 141

C

CArnis opera quæ ſint. 140
A carnibus cur abſtineant catholici certis diebus, ac temporibus.

tibus. 124
Charitas quid ſit. 19
Charitatis duo præcepta. 20
Charitas cognoſcitur ex mandatorum obſeruatione. 20
Charitatis officia ex D. Paulo. 29
Chriſmatis, & aliorum ſacramentorum cærimonis ex traditione Apoſtolica. 32
Chriſti nomen Meſiam, Regem, & Pontificem notat. 4
Chriſtianus quis ſit dicendum. 1
Chriſtiana doctrina ijs rebus continetur, quæ ad ſapientiam, & iuſtitiam ſpectat. 1
Confeſſio eſt neceſſaria, etiam illa exterior, quæ fit apud Sacerdotem. 69
Confeſſionis vſus, & neceſſitas ex Patribus. 70
Confirmationi ſacramentum a diuina ſcriptura teſtimonium habet. 52
Confirmationis Materia, Forma, &

Miniſter idoneus. 53
Confirmationis vſus eſt confirmari ad pugnam. 55
Conniuentia quando peccatum alienum facit. 104
Conſenſus quando alienum peccatum facit. 102
Conſilia Euangelica, quæ dicuntur, & quomodo a Præceptis differant. 142
Conſilia Euangelica tria ſunt, Paupertas, Caſtitas, & Obediētia. 143
Credenda quæ ſint Chriſtiano, præter ea, quæ ſymbolo continentur. 10
Cultus diuinus duplex, interior, & exterior. 44

D

Decalogi Præcepta decem ex Exodo. 21
Decalogi Præcepta tria priora ad Deum pertinent, reliqua ſeptem

ad proximum. 25
Decalogi Præcepta cõtinentur duobus Charitatis præceptis. 28
Defenſione quando peccatum alienum contrahitur. 106
Deus non ſolum legem dat, ſed etiam benedictionem promittit, & operã tribuit, ad legem obſeruandam. 21
Deo latria debetur. 21
Deſperatio, quæ peccatum in Spiritu ſanctum conſtituit. 109

E

ECcleſia primo Vna eſt, Secundo Sancta, Tertio Catholica, Quarto Sanctorum habet communionem. 8
Extra Eccleſiæ communionem nulla ſalus eſt mortalibus. 8
Eccleſiæ obediendum eſſe docuit Christus. 29
Eccleſiæ Præceptis obediendum eſt

non ſolum ſcriptis, ſed etiam nõ ſcriptis, quæ Traditiones appellã tur. 31
Eccleſia quid ſit. 35
Eccleſiæ dignitas,& auctoritas. 35
Eccleſiæ præcepta præcipua quinque. 37
Eccleſiæ auctoritas quattuor maxime in rebus eſt neceſſaria. 38
Eleemoſyna quid ſit. 128
Eleemoſyna ex ſcriptura commendatur. 128
Eleemoſynæ vis,& fructus. 129
Euchariſtia eſt bona gratia, ſeu gratiarum actio. 56
Euchariſtia tria continet,ſpecies viſibiles, veritatem corporis,& ſanguinis Dominici, & ſpiritualis gratiæ virtutem. 56
Euchariſtiæ veritas oſtenditur contra Capharnaitas. 57
Euchariſtiæ debetur cultus diuinus. 59
Euchariſtia non ſolum vt alimen-

tum ſalutare ſumitur, ſed etiam vt ſacrificium offertur, quod ſcripturæ, & Patrum teſtimonijs oſtenditur. 59
Euchariſtiæ fructus. 65
Ad Euchariſtiā rite ſumendam quattuor maxime requirūtur. 66
Excommunicandi auctoritas eſſe penes Eccleſiam. 39
Extremæ vnctionis materia, & Miniſter. 77
Extremæ vnctionis fructus. 78

F

Fides quid ſit. 2
Fortitudo quid. 136
Fortitudinis commendatio ex ſcriptura. 137

G

Glorificatio Dei qua in re conſiſtat. 13
Gula quid ſit, & de quinque filijs eius. 99

H

Homicidium voluntariũ quomodo ſcriptura docet vindicari. 112

I

IConoclaſtarum error damnatus circa Imagines. 24
Idololatria, ſuperſtitiones, ars magica, & diuinatoria damnãtur ſecũdo præcepto. 22
Ieiunia Eccleſiæ, præſertim Quadrageſimæ, ſunt ex traditione Apoſtolica. 32
Ieiuniũ Magnum, & generale quid ſit ſecundum Auguſtinum. 123
Ieiuniũ Philoſophicum quid ſit. 123
Ieiuniũ Eccleſiaſticũ quid ſit. 124
Ieiunium amplecti magni momenti, & certi meriti eſt. 125
Ieiunium commendatur ex ſcriptura. 125

Imagines non perinde coluntur à Chriſtianis, atq; ab Ethnicis. 24
Imaginum, & Sanctorum cultus ex traditione Apoſtolica. 24
Impugnatio veritatis quæ peccat in Spiritum ſanctum. 110
Impœnitentiæ peccatum quando committitur. 111
Incarnatio Filij Dei noſtra eſt quodamodo regeneratio. 4
Inuidia quid ſit, & de quinque natis eius. 98
Inuidentiæ fraternæ gratiæ quomodo eſt peccatum in ſpiritum ſanctum. 110
Ira quid ſit, & ſex eius filiæ. 99
Irritatio quando peccatum alienū conſtituit. 103
Iudicium Dei monet vt rectius, cautuſque viuamus. 6
Iuſſio quando ſit peccatum alienum. 102
Iuſtitia Chriſtiana duabus rebus cōtinetur. 93

Iuſtitia Chriſtiana omnia bona,quę honeſte, iuſte, ac pie fiunt, in ſe continet. 119
Iuſtitiæ quattuor fructus. 120
Iuſtitiæ Chriſtianæ tria ſunt imprimis bona, Orario,Ieiunium,Eleemoſyna. 122
Iuſtitia quid. 135
Iuſtitiæ commendatio ex criptura. 135

L

LVxuria quid ſit, & de nouem filijs eius. 98

M

MAriam quare ſalutemus. 161
Mariæ laus ex Patribus. 19
Matrimonium quid. 88
Matrimonium ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. 88
Matrimonium diuinum non poteſt.

teſt. 89
Matrimonium contrahere non omnibus licet. 90
Matrimonij vinculo repugnat Polygamia. 91
Miſericordia quid. 130
Miſericordiæ opera duplicia. 130
Miſericordiæ opera corporalia ſeptem. 131
Miſericordiæ opera ſpiritualia ſeptem. 131
Miſericordię opera ex ſacris literis oſtenduntur. 132
Meditationes quotidianæ. 175
Meditatio Diui Bernardi de breui hominis vita. 198

N

NOn habebit Deum patrem, qui noluerit Eccleſiam habere matrem. 8
Non ſatis eſt Chriſtiano a peccatus abſtinere. 118

O.

Operis totius ſumma. 152
Obſtinatio quæ in ſpiritum ſancti peccat. 110
Oratio quid ſit. 126
Oratio proprium & neceſſarium exercitium fidei. 126
Orationis vis,& fructus. 127
Orationes noſtræ & Ieiunia minus poſſunt,niſi eleemoſynis adiuuẽtur. 128
Oratione Dominica bona expetenda,& mala depellenda continentur. 15
Orationis Dominicæ ſeptem ſunt petitiones quæ omnes omnium orationum formas & ſpecies cõplectuntur. 12
Ordinis ſacramentum quid. 79
Ordinum quidam minores ſunt, quidam maiores. 81
De ordinandi ritu Patrũ ſenten-

tiæ. 82
Ordinum vſus quis ſit. 85
Officium æternæ ſapientiæ. 155

P

Participatione quando alienum peccatum conflatur. 105
Paſſio Chriſti noſtræ ſalutis cauſa extitit. 5
Peccatorum remiſſio per ſacramenta nobis confertur. 9
Peccatum quid ſit. 93
Peccatum cur fugiendum. 94
Peccatum cõmittitur triplici via. 95
Peccata quomodo vitanda. 96
Peccata capitalia ſeptem, totidéq; virtutes illis oppoſitæ. 96
Peccata Aliena nouem. 101
Peccatum alienum quãdo conſilio perpetuarum. 101
Peccatum in Spiritum ſanctum quid, & quomodo inexpiabile. 107

Peccata in ſpiritum ſanctű ſex. 107
Peccata in Cœlum clamantia quattuor. 112
Peccata ſex modis expiantur. 115
Peccata minuta non contemnenda. 117
Peccata leuiora quibus remedijs purgentur. 118
Pręſumptio quę peccet in Spiritum ſanctum. 108
Precationes & oblationes pro defunctis ſunt ex traditione Apoſtolica. 32
Pœnitentiæ Sacramentum quid. 67
Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium. 67
Pœnitentiæ tres partes, Contritio, Confeſſio, Satisfactio. 68
Pœnitentiæ commendatio. 76
Proximi ſumus omnes inter nos, ſecundum eiuſdem noſtræ humanæ, nec non diuinæ gratiæ communicationem. 20
Prudentia quid. 135

Prudentiæ ex ſcriptura laus. 135

Q

QVæſtionum de fide grauiorum moderatrix eſt Eccleſia. 40
Quattuor Nouiſſima quæ ſint. 149
Quattuor Nouiſſimorum doctrina quem habeat fructum. 151

R

REgnum Dei in Eccleſia, & vniuerſo mundo quale ſo. 13
Reſurrexit ui ſua Chriſtus. 5
Reſurrrctio Chriſti noſtra reſurrectionis cauſa eſt. 5

S

SAncti quomodo colantur, & inuocentur ex Auguſtino. 22
Sancti ſuffragatores, Interceſſores, & Patroni noſtri recte dicũtur. 23

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sanctorum Inuocatio orthodoxa & Catholica. 23
Sacerdotibus Euchariſtia ſub vtraq; ſpecie ſumenda; reliquis vero fidelibus etſi vtraque ſpecies aliquando conceſſa eſt, nunc vna tātum ab Eccleſia decreta eſt. 62
Sacerdotes habent abſoluendi poteſtatem. 66
Sacerdotium inter Ordines primū locum habet. 79
Sacerdotes mali non minus ſunt honorandi, quàm boni. 85
Sacerdotes non ſunt omnes Chriſtian. 80
Scripturę Canonicę ſunt, quæ ab Eccleſia recipiuntur. 37
Scripturæ ſenſus eſt is, quem recipit Eccleſia. 38
Sacramentis confertur, & conſeruatur gratia. 43
Sacramentum quid. 44
Sacramentum quodlibet conſtat Varbo, & Elemento. 45

Sacramenta ſunt ab Eccleſia recepta. 46
Sacramenta non ideo veriora ſunt, aut ſanctiora, quia per meliores miniſtrantur. 48
Sacramentorum ceremoniæ quot ſunt inſtitute,& quã pridem. 48
Sacrificium Chriſti duplex, cruentũ in cruce, & Incruentum in altari. 60
Satisfactio cuiuſmodi eſſe debeat, ex Patribus. 73
Satisfactio cuiuſmodi ſit defunctis neceſſaria. 74
Spes quid ſit. 11
Speranda quę ſint. 12
Spiritus ſancti Dona ſeptem. 137
Spiritus ſancti fructus duodecim. 137
Superbia quid ſit,& filię eius ſex. 97
Suffragia pro defunctis ſalutaria, ex ſcripturis, & Patribus. 74
Symboli tres partes Trinitari reſpondent, Prima de Creatione,

Secunda de Redemptione, Tertia de Sanctificatione. 10
Symbolum. 12. articulos continet, duodenario Apoſtolorum numero reſpondentes. 3

T

Temperantia quid. 135
Traditionibus Apoſtolicis, & probatis cognoſcendis regula ex Auguſtino. 31
Traditionum Apoſtolicarum exempla. 32
Traditionum approbatio ex Patribus. 34

V

Virtutum Cardinalium nomen quid ſignificet. 133
Virtutes Cardinales quattuor. 13
Virtutes Cardinales cur Officiales dicantur. 134

FINIS

SVMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE.

CAPVT PRIMVM DE Fide, & Symbolo Fidei.

Quis dicendus eſt Chriſtianus?

QVI Ieſu Chriſti veri Dei, & hominis ſalutarem doctrinam in eius Eccleſia profitetur. Omnes proinde cultus & ſectas, quę extra Chriſti doctrinam, & Eccleſiam vbiuis gentium reperiuntur, vt eſt Iudaica, Mahometica, Hęreti-

Act. 11. 1. Pet. 4.

ca, damnat, & deteſtatur penitus, qui vere Chriſtianus eſt: & in ipſa Chriſti doctrina firmiter acquieſcit.

Quo compendio Chriſtianam doctrinam licet complecti?

VT nimirum Chriſtianus ea norit, & obſeruet, quę tum ad Sapientiam, tum ad Iuſtitiam ſpectant. Sapientia, vt Auguſtinus oſtendit, circa virtutes verſatur Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: quibus pure colitur in hac vita mortali De⁹ Opt. Max. Iuſtitia vero duabus partibus abſoluitur, declinatione a malo, & boni operatione: vt Propheta inquit Regius: Declina a malo, & fac bonum. Iam ex hiſce fontibus, Sapientiæ ſcilicet, & Iuſtitiæ, non difficulter hauriuntur cætera, quęcunque Chriſtianę quidem inſtitutioni, atque diſciplinę congruunt.

Libro 2. Retractationum cap. 63. Et in Enchiridio cap. 3.
Pſal. 36.
1. Pet. 3.

Quid primum traditur in doctrina Chriſtiana?

FIdes ianua illa noſtrę ſalutis, ſine qua Deum inuenire, & inuocare, Deo ſeruire, & placere nullus in hac vita poteſt. Credere enim oportet accedentem ad Deum, inquit Apoſtolus: qui vero non crediderit, condemnabitur, & iam iudicatus eſt, ex Chriſti ſententia.

Rom. 10. Heb. 11. Ibidem. Mar. 16. Ioan. 3.

Quid Fidei nomine intelligitur?

DEI donum, quo illuſtratus homo firmiter adhæret, atque aſſentitur iis, quæ, vt credantur, ſunt Diuinitus reuelata. Cuiuſmodi ſunt, Deum eſſe trinum, & vnum, e nihilo creatum mundum, Deũ factum eſſe hominem, & pro hominibus mortẽ ſuſtinuiſſe,

Ephe. 1. Heb. 11.

Mariam, & virginem, & Dei Matrem exiſtere: mortuos omnes ad vitam excitandos eſſe: hominem ex aqua, & Spiritu Sancto regenerari: totum Chriſtum in Euchariſtia contineri: & id genus alia Religionis noſtræ veneranda myſteria, quę diuinitus reuelata, non humani ſenſus captu comprehendi; ſed fide duntaxat percipi poſſunt. Vnde

Eſaiæ 7. Propheta: Niſi crediderítis, inquit, non intelligetis. Non enim pręſtat Fides naturæ ordinem, non ſenſuum fidit experientiæ, non potentia aut ratione humana, ſed uirtute, & auctoritate diuina nititur, illud plane certum habēs: ſummam, æternamque veritatem, quæ Deus eſt, nec falli poſſe unquam, nec fallere. Quamobrem id fidei vel maxime proprium eſt, vt in captiuitatem redigat omnem intellectum in

2. Cor. 10 obſequium Chriſti: apud quem nō

Luc. 1. eſt difficile, nedum impoſſibile,

omne verbum. Hæc fides, Chryſoſtomo teſte, lumen eſt animę, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ.

In ſymbolum Apoſtol.

Quæ eſt ſimplex Fidei regula & veluti ſumma?

SYmbolum Apoſtolorum, in duodecim diſtinctum Articulos, quemadmodum & XII. extiterunt pręcipui illi, poſt Chriſtum Chriſtianę Fidei fundatores, ſacratiſsimi Apoſtoli.

Qui ſunt Symboli huius articuli?

1 CRedo in deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

2 Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominũ noſtrum.

3 Qui conceptus eſt de Spiritu Sá-

ćto,natus ex Maria Virgine.
4 Paſſus ſub Pontio Pilato,crucifixus, mortuus & ſepultus.
5 Deſcendit ad inferos,tertia die reſurrexit a mortuis.
6 Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
7 Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.
8 Credo in ſpiritum ſanćtum.
9 Sanćtam Eccleſiam Catholicã, ſanćtorum communionem.
10 Remiſſionem peccatorum.
11 Carnis reſurrećtionem.
12 Et vitam æternam, Amen.

Quid ſibi vult primus Symboli articulus?

Oſtendit nobis primam in Deitate perſonam, Patrem ſcilicet cœleſtem,& æternum, cui nihil fаćtu impoſſibile ſit, vel difficile: qui ſolo verbo tam viſibilia, quàm

inuiſibilia cuncta produxit ex nihi lo: producta vero vſque conſeruat, Gen. 1. atque gubernat ſumma bonitate, ac ſapientia: a quo, & ad quem omnia: in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Acto. 17.

Quid habet ſecundus articulus?

COmmōſtrat ſecundam in Deitate perſonam, Ieſum nomine, hoc eſt, ſaluatorem populi ſui, & Chriſtum, ideſt, vnctum, ſcilicet Matt. 1. Spiritu ſancto, ac plenum omni Acto. 10. gratia, & veritate, Meſſiam, Regē, & Ioan. 1. Pontificem noſtrum, qui primatum tenet in omnibus. Oſtendit eundem eſſe filium Dei vnicum, Coloſ. ab æterno genitum naturalem, conſubſtantialem & prorſus æqualem Patri ſecundum diuinitatem: Ioan. 10. Dominum vero noſtrum, & omnium in idipſum credentium, vt 1. Tim. 4. Heb. 1. quos ipſe pditos vltro liberauit, ac Actor. 4.

liberaliſsime redemit. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo nos ſaluos fieri oporteat.

Quid credendum proponit quintus articulus?

tertius

EVndem teſtatur Dominum, qui ab ęterno genitus a Deo Patre ſine matre fuit, propter nos de cœlis deſcendiſſe, & humanam aſſumpſiſſe naturam, qua temporaliter & conceptus ſit in Nazareth, & ſub Cæſare Auguſto natus in Bethleem, idque ſine Patre, ex illibata Virgine ſic editus, operante ſcilicet in illa virtute Spiritus ſancti; Vt Verbum caro, & Deus homo fieret, atque Maria ſimul Dei mater, & Virgo eſſet. Hęc incarnatio filii Dei, noſtra eſt quodam modo regeneratio: tũ vt maledicti Adæ filii de immundo concepti ſemine pu-

Lucæ 1. & 2.

Iob. 14.

rificemur: tũ vt ex carnalibus ſpirituales, ac plane filii Dei efficiamur in Chriſto. Dedit enim poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Rom. 8. Ioan. 1.

Quid continet articulus quartus?

OStendit Chriſtum, vt hominẽ, vere & extrema paſſum ſub Pontio Pilato iniquo prę́ſide: item crucifixum, & mortuum, & ſepultum, cum eſſet alioqui agnus ſine macula innocentiſſimus. Quæ Chriſti paſſio, ſanguis, crux, vulnera, & mors, peccatoribus conſolationem, ſanitatem, virtutem, & vitam continue exhibent; ſi tamen paremus, & compatimur capiti, vt ita ſimul & conglorificemur. Conſumptus enim factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternę: vt Scriptura inquit. Eſai. 53. Matt. 20. & 27. Ioan. 1. Heb. 7. Rom. 8. Heb. 5.

Quid credendum profert quintus articulus?

CHriſtű docet poſt quàm mortuus eſſet in cruce, ſecundum animam quidem ad inferos vſque penetraſſe, tum vt mortis, ac Satanæ deuictorem, tum vt Patrum in limbo ſedentium liberatorem ſeſe declararet: Secundum corpus autem, tertio poſt die cum Triumphator ex inferis redire vellet ſua vi reſurrexiſſe de ſepulchro eundem, qui pro nobis pependit in ligno, factum iam immortalem acglorioſum, primogenitum ex mortuis. Colof.1. Quo admirabili opere conſolatur ac docet, electos liberari de poteſtate Satanę, mortis, & inferni: eáq; reſurgendi gratiam omnibus offert, atque commendat; vt vere credentes in Chriſtum, reſurgant de vitijs ad virtutes, a morte peccati ad

vitam gratiæ, in fine porro ſæculorum omnium de morte corporis ad vitam immortalem. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. 1. Co. 15.

Quid adfert ſextus articulus?

ABſoluto humanę redemptionis opere, Dominum Ieſum oſtendit, poſtquàm rediuiuus ille ſuis apparuiſſe, quadrageſimo die in cœlum aſcendiſſe, vt ſecundum carnem exaltaretur ſuper omnia. Sedet igitur Dominus Ieſus in cœlis ad dexteram virtutis Dei, parem cum patre poteſtatem exercens, gubernans omnia. diuina maieſtate prorſus reſplendens, quod eſt nimirum ad patris ſedere dexteram. Hæc lęta Chriſti aſcenſio, noſtrę fidei, ac ſpei certitudo eſt, vt quò caput pręceſſit proſtratis ſemel hoſtibus, eodem membra

Acto. 1.
Epheſ. 1.
Mar. 16.
Heb. 1.
Matt. 28.

etiam, ſi capiti modo pareant, & inhęreant ſuo, peruentura eſſe maxime confidamus. Vado, inquit, parare vobis locum.

Hebr. 5. Ioan. 15.

Quid credendum exhibet ſeptimus articulus?

PRoponit extremum iudicii diem, quando Chriſtus in humana carne rurſus deſcendens, tremendum aget Iudicium totius orbis, & vnicuique reddet ſecundum opera ſua. Iudicabit in ſede maieſtatis ſuę ad vnum omnes, probos, ac improbos, ſiue quos iudicii dies illa viuos adhuc in carne, ſiue antea mortuos reperiet. Hic admonemur, vt eò cautius, rectiuſque viuamus, quò certius intelligimus, noſtras & actiones, & cogitationes omnes verſari ſemper ob oculos cunctacernetis, & ęquiſſime iudicantis Dei. Adeò æquus, & iuſtus eſt ſcruta

Pſal. 61. Matt. 16. & 25. 1. Theſ. 4. Hier. 17. 1. Theſ. 5.

tor ille cordium, & vindex iniquitatum, ante cuius tribunal manifeſtari nos omnes oportet, vt vnuſquiſque, prout geſsit ſuo in corpore, ſiue bonum, ſiue malum, ab illo recipiat. 2.Cor.5.

Quę eſt ſumma Articulorum de ſecunda in Deitate perſona?

OMnino credi volunt, Chriſtũ verum Deum, & hominem eſſe, qui Redemptionis humanę opus perfecerit, vt idem ſit ipſe nobis via, veritas, & vita, per quem ſaluati, & liberati ſumus. Ioan. 14. de cuius quidem Redemptionis beneficio ita præclare ſcriptum eſt: Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſęcularia deſideria ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſęculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ Tit.2.

magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Christi: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Sic Apoſtolus Paulus. Et alibi rurſus idem: Ipſius (Dei) ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Eph.2.

Quid docet octauus articulus?

SVbiungit tertiam in Deitate perſonam, Spiritum ſanctum: qui ex Patre Filioq; procedens, vnus cum vtroque, ſicut verus, ęternus, & ęqualis Deus exiſtit: ita eadem fide, pariq; cultu, & honore, vt illum quoque proſequamur, neceſſe eſt. Hic eſt ille Paracletus, & doctor veritatis, qui corda credentium illuſtrat, purificat, ſanctificat, & in om-

Athan. in ſymbolo.

Io.14.16.

ni ſanctitate confirmat. Hic eſt, qui & adiuuat infirmitatem noſtram, & ſingulis, prout vult, varias donationes ſuas diſtribuit, impertitque. Rom. 8. 1. Cor. 14.

Quid addit articulus nonus?

OStendit, Eccleſiam, ideſt, cunctorum Chriſti fidelium congregationem: pro qua Chriſtus in carne cūcta & fecit, & pertulit, eam Primò vnam eſſe in fide, fideique doctrina, & adminiſtratione Sacramētorum. Cant. 4. Epheſ. 4. Secundò eſſe Sanctam: quia tum a Chriſto capite ſuo ſanctificatur, tum a Spiritu ſancto vſque gubernatur. Epheſ. 5. Tertiò eſſe Catholicam, id eſt vniuerſalem, Ioan. 14. 16. adeo vt omnes omnium temporum locorumque homines, qui modo in Chriſti fide, ac doctrina conueniunt, vno quaſi materno ſinu excipiat, concludat, ac ſaluet. Mar. 16. Acto. 1. Epheſ. 4.

Pſal. 118. Quarto eſſe in eadem Eccleſia ſan-
1. Tim. 3. ctorum communionem, vt qui in
Eccleſia, veluti domo Dei, familiaq́ꝫ
verſantur, ſocietatem quandam
inter ſe, & vnionem ſeruent indiui
1. Ioan. 1. duam: & ſicuti vnius corporis mē
Rom. 12. bra ſe inuicem iuuent mutuis offi-
1. Cor. 1. cijs, meritis, & orationibus. Apud
Epheſ. 4. hos eſt vnitas fidei, doctrina conſen
tiens, conformis vſus Sacramento-
rum: qui etiam ſoliciti ſunt ſerua-
re vnitatem Spiritus in vinculo pa
Ibidem. cis. Extra quam communionem
ſicut extra Noe arcam, nulla om-
Gen. 7. nino ſalus mortalibus: non Iudęis,
aut Ethnicis, qui fidem Eccleſię nū-
quam receperunt: non Hæreticis,
qui receptam deſeruerunt, vel cor-
ruperunt: non Schiſmaticis, qui pa
cem, & vnitatem Eccleſię reliqu e-
runt: Poſtremo neque excommuni
catis, qui qualibet alia graui de cau
ſa id meruerunt, vt ab Eccleſię cor
Matt. 18. pore, ceu pernicioſa quędam mem
bra,

bra, abſcindantur, ſeparanturque. 1.Cor.5.
Atque iſtiuſmodi omnes, quoniam ad Eccleſiam, eiuſque ſanctam communionem non pertinent, ſane diuinę gratię, & ſalutis ęternæ non poſſunt eſſe participes, niſi Eccleſię a qua ſuo illi vitio ſunt ſemel auulſi, primùm reconcilientur, atque reſtituantur. Certa eſt enim Cypriani, & Auguſtini regula: Non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem. De ſimplic. pręlatorum. Lib. 4. de ſymbolo.

Quid proponit articulus decimus?

REmiſsionem peccatorum, quę in Catholica duntaxat Eccleſia, virtute Dominicę paſsionis confertur. Luc. 24. Ea nobis per Eccleſię Sacramenta donatur, & accipitur, vt proinde nulli quantumuis facinoroſo (modo cum peccatorum ſuorum pœniteat) diffidendum ſit vn- Actor.2. Ioan. 20. Eze. 18. 1.Tim.2.

quam de parata ſibi gratia, & expoſita miſericordia Dei.

Quid habet vndecimus articulus?

CArnis reſurrectionem, quę in nouiſsimo die bonis maliſque continget, quando ante Chriſti tribunal in carne cuncti apparebimus; vt recipiat vnuſquiſque, pro ut geſsit, in corpore ſuo, ſiue bonũ, ſiue malum. Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitę: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij, & in ſupplicium ęternum.

Iob. 19. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. Ioan. 5. Matt. 25.

Quis eſt poſtremus articulus?

IS eſt, qui oſtendit bonis vitam ęternam eſſe propoſitam, quæ ab omni malorum ſenſu & metu procul abſit, & cœleſtibus ſine fine

gaudiis abundet. Vnde Chriſtus: Nolite timere puſillus grex, inquit, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. De quo & in extremo Iudicii die dicet electis: Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mũdi. Adiicitur demum clauſula iſtæc, Amen; vt fidei, & confeſſionis huius Chriſtianę teſtimonium apud nos indubitatum eſſe, ac ſolidum, demonſtretur.

Luc. 12.

Matt. 25.

Quæ eſt ſumma omnium ſymboli articulorum?

Corde credo, & ore ſimul confiteor, Dominum Deum, quo nihil aut maius, aut ſapientius, aut melius poteſt excogitari, eundem & vnum in eſſentia ſeu natura diuina, & trinum in Perſonis eſſe, vtpote Patrem, & Filium, & Spiritũ San

2. Ioan. 5. ctum, ita hi tres vnum ſint, vnus, verus, æternus, immenſus, & incom
Rom. 11. prehenſibilis Deus: ex quo, & per quẽ, & in quo ſunt omnia. Huic ſanctiſſimę ſimul, & indiuiduę Trinitati respondent partes Symboli tres præcipuę: prima de creatione, ſecunda de Redemptione, tertia de Sanctificatione. Deus Pater conditor vniuerſorum. Deus Filius Redemptor hominum. Deus Spiritus ſanctus Eccleſiæ, ſeu Chriſti fidelium, ſanctificator, cuſtos, & rector.

Eſt ne ſatis Chriſtiano ea ſola credere, quę complectitur Symbolum?

PRimùm ea quidem, quæ Symbolo traduntur, cuiuis credenda, & aperte profitenda ſunt. Secundò & illa, quæ ſimul vniuerſa ſcriptura Diuina, ſeu Canonica complectitur. Tertiò itidem, quæ par

2. Pet. 1. Tertull. de præſ. hæretie.

tim ex Symboli articulis, partim ex ſcripturis eiuſdem, velut fontibus rite deducantur. Quarto & illa pro ſacroſanctis habenda, firmiſsimaque fide retinenda ſunt, quæ Spiritus ſanctus credenda nobis reuelat, pronunciatque per Eccleſiam. Circa hæc enim omnia Fides Chriſtiana verſatur: qua demum certò & citra hæſitationem vllam credimus, quęcunque a Deo ſalutis noſtrę cauſa reuelata ſunt Eccleſiæ, ſiue ſcripto illa, ſiue viuę vocis traditione nobis cómendétur. Qua de re poſtea dicetur fuſius, cum ad Eccleſiæ pręcepta ventum erit.

Et Vincent. Lirinen. conuouat.
Matt. 1.
1. Tim. 3.
Ioan. 16.
2. Teſ. 1.
Ioan. 2.
Cap. 4.

CAPVT SECVNDVM DE SPE, ET ORATIONE DOMINICA.

Quid eſt Spes?

VIrtus eſt Diuini-
tus infuſa, per
quam certa cũ
fiducia, noſtræ
1. cor.13. ſalutis, & ęter-
Rom.5. nę vitę bona ex
Tit.2. pectantur. Cu-
1. Pet.1. iuſmodi quidem expectatio pri-
mum ex magnitudine gratię per
Chriſtum nobis partæ, & exhibitæ:
deinde vero ex teſtimonio conſcien
2. Cor. 1. tię, ac voluntatis bonę, quã Dei
1. Ioan.3. gratię cooperamur, prouenit, vt ſe-
1. Cor. 2. ctatores etiã nõ ignaui ſimus bono
Tit.2. rũ operũ, q̃ Deus pręparauit, vt in
Ephe. 2. illis ambulemus, certamque voca-

tionem, & electionem noſtram per ea ipſa faciamus. 2.Pet. 1.

Quę ſunt nobis ſperanda?

PRoprie quidem, & pręcipue bona illa Regni cœleſtis, quę nos vere beatos faciunt: generatim autem, quęcunque recte deſiderantur vel petuntur a Deo, in eum modum ſcilicet, quem Dominica nobis commendat oratio. Matt. 6. 1.Pet. 1. Mar. 11. Luc. 11.

Quæ ſummatim in Dominica oratione tractantur?

SEptem in ea petitiones proponuntur, ad quas referri omnes omnium orationum ſpecies, & formæ debent, ſiue pro expetendis bonis, ſiue pro delendis peccatis, ſiue pro auertendis malis Diuinam opem imploremus. In prioribus autem tribus petitionibus ęter Auguſtinus in Enchir. cap. 119.

na poſcuntur: in reliquis quattuor etiam temporalia, quę tamen propter ęterna conſequenda ſunt nobis neceſſaria.

Recita per partes orationem Dominicam?

PAter noſter, qui es in cœlis.
In Matt.6 1 Sanctificetur nomen tuum.
2 Adueniat regnum tuum.
3 Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.
4 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
5 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
6 Et ne nos inducas in tentationem.
7 Sed libera nos a malo. Amen.

Quid ſibi vult initium orationis, Pater noſter, qui es in cœlis?

PRæfatiúcula q̃dã eſt, q̃ nos mẽmores reddit ſummi beneficij, quo Deus Pater in cœlis perfectiſſime regnans, nos hic recipit in gratiam, &propter Chriſtum Filium in ſuos quoque filios,& regni cœleſtis heredes per Spiritum ſanctum adoptauit. Quæ tanti beneficii memoria non ſolum attentionem excitat;ſed etiam ad redamandum Patrem prouocat filios: ad orandum vero, impetrandumq́ue auget fiduciam. Rom.8. Gal.4.

Quis eſt ſenſus primæ petitionis?

IN nobis, & æque in omnibus alijs, promoueri ſemper, & auge- 1.cor.10.

ri petimus, quicquid ad gloriam ſummi, optimiq́ue Patris noſtri ſpectat. Id vero fit maxime, cum veræ fidei confeſſio, & Chriſtianæ vitæ cōuerſatio ſuam in nobis vim
Matt. 5. exerit, vt inde alij quoque glorificent Patrem.

Quid continet ſecunda petitio?

PEtimus, vt ſolus Deus per gra-
Rom. 5. tiam, & iuſtitiam regnet in Eccleſia ſua, imo & in mundo vniuerſo, eiectis demum hinc aduerſarijs potestatibus, & cupiditatibus malis omnibus, quoad fieri poteſt. Rurſum hic optamus, & precamur; vt ex hoc mundo, veluti e graui peregrinatione, militiaq́ue voca-
1. Pet. 2. Iob. 7. Rom. 8. Matt. 25. ti, quàm primum transferamur ad regnum gloriæ, & felicitatis æternæ, vt cum Chriſto in ſempiternū regnemus.

Quid includit tertia petitio?

ROgamus, vt ſicut in cœlo Angeli, & Beati omnes, ita nos quoque in terris, quamuis fragiles, exactam Deo præſtemus obedientiam, nihil habentes prius, quàm vt diuinę voluntati ſubiiciamur, & cõformemur per omnia ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis.

Pſal. 102.

1. Pet. 4.
Matt. 26.

Quid habet quarta petitio?

AB omnis boni auctore, ac fonte, vti pauperes, & mendici, deſideramus quæ ad vitam hãc corporis quotidie ſuſtentandum ſunt ſatis, vt victum ſcilicet, ac veſtitum. Prçterea quæ ad vitam animæ promouendam faciunt, hic expetimus: veluti verbum Dei animæ pabulum efficax, ſacroſanctam Euchariſtiam, cçteraque ſalutifera

Iacob. 1.
Pſal. 39.
Prouer. 30.
1. Tim. 6.

Matt. 4. Eccleſiæ Sacramenta, quę paſcunt,
Ioan. 6. curant; & confortant hominem interiorem.

Quo pacto intelligitur quinta petitio?

HIc petimus, a labe peccati, quo nihil fœdius, nihil animæ peſtilentius eſt, clementer expurgari, & ea ipſa, quæ peccando contraximus, debita relaxari. Addita vero eſt conditio, ne alioquin precatio fruſtranea eſſet, nos videlicet uindictæ cupiditatem depoſuiſſe: cum proximis in gratiam rediiſſe, & cuiuis ex animo noxam omnem condonaſſe. Hoc eſt, quod alibi dixit veritas. Dimittite & dimittetur uobis. Et iterum: Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.

Luc. 6.
Matt. 6.

Quid continet ſexta petitio?

QVoniam præſens hęc vita perinde ac militia eſt ſuper terrã, dum variis tentationibus ſemper impugnamur a Mundo, Carne, & Satana, idcirco piè ſoliciti Diuinã imploramus opem, non modo ne ſuccumbamus hiſce aduerſariis, atque ſuccumbendo damnemur, ſed etiam vt Satanæ reſiſtamus fortiter, contemnamus Mundum, caſtigemus carnem, atque ita demùm coronemur, vt inuicti milites Chriſti.

Iob. 7. Iacob. 1. Gal. 5. Eph. 6. 1. Ioan. 2. Iacob. 4. 1. Pet. 3. 2. Tim. 2.

Quid eſt in ſeptima, & poſtrema petitione?

PRecamur ad extremum, vt huius ſęculi calamitatibus, quibus exercentur etiam pij, non ſinat nos Deus perdi, & euerti cum impijs; ſed vt benignitate ſua nos

Tobiæ 2. Eccl. 27. 1. Tim. 1.

liberet, ac tueatur, quatenus ſaluti noſtrę congruit, ab omni malo tū corporis, tum animæ ſiue in hac vi ta, ſiue in futura. Claudimus totam precationem hac vna voce Amen, vt comprobemus noſtram in orando ſimul, & impetrando fiduciam, tum propter Chriſti promiſ-
Luc. 11. ſionem: Petite inquit, & accipietis:
Rom. 10. tum propter Patris erga nos immē
1. Tim. 2. ſam clementiam, & propenſam in
Eze. 18. omnes miſericordiam.

Quę eſt ſumma orationis Dominicæ?

Auguſt. Formulam abſolutam continet
ſer. 182. non ſolum orandi, ac poſtulan-
de temp. di bona: verum etiam deprecandi itidem, ac fugiendi mala quælibet. Inter bona vero primum eſt illud expetendum, vt Pater cęleſtis ab omnibus ſemper, & vbique, glorificetur: deinde vero, vt illius regni par

ticipes efficiamur: tum vt ea nobis media ſuppetant, quibus ad regnum Dei commode peruenitur: vt eſt, ex parte animę quidem noſtrę, voluntati diuinæ nos conformare, ex parte vero corporis, victũ habere neceſſarium. Adduntur ſecundo loco, quæ ad mala depellenda rite poſtulantur. In primis quidem, vt abſint peccata, bonorum omnium corruptelę: tentationes itidem, quę nos ad peccata impellant ac pertrahant: ad extremum vero deprecamur calamitates ſiue præſentis, ſiue futurę vitę. Reliqua de Oratione in eum reſeruabuntur locum, quo bonorum operum genera triplicia declarabuntur.

DE SALVTATIONE ANGELICA.

Cur Deiparam Virginem ſalutamus?

PRimùm Euangelicis verbis, & exemplis permoti, id facimus, quando nos ſic docent afflati Diuino ſpiritu magnus Gabriel Archangelus, & pręcurſoris Domini mater, ſancta Eliſabeth. Deinde confirmat nobis hanc ſalutando formulam uſus, & conſenſus Eccleſiæ perpetuus, quem ſancti Patres, & Maiores in hanc vſque diem religioſiſſime obſeruarunt.

✠

Quem fructum ex hac ſalutatione conſequi poſſumus?

HIs verbis admonemur ſummi beneficii, quod per Mariam Deiparam æternus Pater inchoare voluit in Chriſto, & mundo ad redimendum genus humanum exhibere. Quare poſt pia vota, quę in precatione Dominica Deo commendauimus, hic acceptæ per Chriſtum gratiæ memores, non modo Chriſti Matrem, ſed etiam Deum Patrẽ in eadem Virgine Deipara laudamus, & Collætantes Angelis, dicimus: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui Ieſus. Sancta Maria, Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Amen.

Pſalmo 150.

Luc. 1.

Ex traditione Eccleſię.

✠

Quis eſt horum verborum ſenſus?

Gen. 3. Irene. lib. 3.

PRimum iure gratulamur, & gratulando prædicamus eam, quę nobis Euam alteram pręſtitit, dum Vę maledictionis, quod illa prior mundo intulit, hęc partu ſuo ter felici non ſuſtulit modo, ſed etiam maledictionem filiorum Adę vertit in benedictionem perpetuã. Gratia plena. Talibus nanque decebat Virginem oppignorare muneribus, vt eſſet gratia plena, quæ reddidit cœlis gloriam, terris Deũ pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitę ordinem, moribus diſciplinam. Breuiter talis Maria fuit, vt eius vnius vita omniũ diſciplina ſit. Dominus Tecum. Tecum in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio, tecum ante partum, in partu, &

Hieron. de aſſum. Virg.

Ambro.

Auguſt.

Luc. 1.

poſt partum: quia & virtus Patris obumbrauit tibi; & Spiritus ſanctus ſuperuenit in te; & Verbum caro factum ex te proceſſit, tanquàm Spõſus de thalamo ſuo. Benedicta tu in mulieribus, quia virginitate Sponſa ſimul, & fœcunditate Mater exiſtis, & quam proinde ſummo iure beatam dicunt, ſemperque dicent omnes generationes. Mulier tota pulchra & immaculata, virgo ante partum, in partu, & poſt partum, ſemper incorrupta, ab omni peccati labe libera, ſuper cœlos omnes exaltata, quę nec minus viuificando profuit, quam infelix Eua obfuit mortalibus occidendo. Et benedictus fructus ventris tui Ieſus, vt qui ex Maria radice velut flos aſcendens, & ipſe quodammodo terræ fructum ſe præſtitit, & æternę ſalutis fructum ita membris ſuis, ſicut vitis palmitibus ſuccum, & vigorem ſuppeditat.

Ioan. 1. Pſal. 18. Chryſologus. Luc. 1. Hier. contra Heluid. Auguſt. de natu. & gra. Eſai. 11. Ioan. 1.

Luc. 11. Vere beatus venter, qui portauit,& edidit mundo Saluatorem. Vere beata viſcera, quę de cœlo plena Filium Dei lactauerunt. Et additur demum ab Eccleſia: Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Quippe Sanctorum Patrum veſtigiis inſiſtentes, præterquam quòd laudabilem, & admirabilem illam Virginem, quę eſt ſicut lilium eſt inter ſpinas, ſalutamus: eandem

Cant. 2. præterea virtute Dei auctam eſſe tãta credimus, atque profitemur, vt poſſit prodeſſe, fauere, annuere miſeris mortalibus, dum hi pręſertim ſe ſuaq; vota illi ex fide commendant, ac Diuinam gratiam gratioſæ Matris interceſſione ſupplices expetunt. Chryſoſtomus: Vt vere dignum & iuſtum eſt glorificare te Deiparam & ſemper beatiſſimam, & penitus incontaminatam Matrē Dei noſtri, honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incompara-

In Liturgia.

biliter Seraphin, quę citra corruptionem Deum peperiſti: vere Dei param te magnificamus.

Ambroſius: Sit nobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beatę Marię, de qua velut ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Quid nobilius Dei Matre? quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generauit?

Lib. 2. de virginitate.

Auguſtinus: Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuum nomen. Neque enim dubium, quę meruit pro liberandis proferre precium, poſſe plus omnibus liberatis impedere ſuffragium.

In ſerm. de aſſum. Virg.

Bernardus: Virgo Regia ipſa eſt via, per quam Saluator aduenit;

De laud. Mariæ.

Pſal. 18. procedens de ipſius vtero, tanquã Sponſus de thalamo ſuo. Per te acceſſum habeamus ad Filium ô bene dicta inuentrix gratiæ, genitrix vitę mater ſalutis; vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis.

CAPVT TERTIVM DE CHARITATE, ET DECALOGO.

Quid eſt Charitas?

Matt. 22.
Luc. 10.

SYncera dilectio, qua Deus propter ſe diligitur, & proximus propter Deum. Diligendus enim pręcipue eſt Deus in

Pſal. 15.
Prou. 16.

omnibus, & ſuper omnia, & propter ſe ſolum, vt qui ſummum, æter

numque bonum eſt, quod ſolum noſtros explet animos: cuius amor, & honor, niſi plane ſimus ingrati, noſtræ tum voluntatis, tum actionis omnis initium, & ſcopus eſſe debet. Deinde propter Deum amādus proximus, hoc eſt omnis homo, quòd inter nos omnino ſimus proximi, ſecundum eiuſdem ſcilicet humanę naturæ, nec non & Diuinæ gratiæ communicationem. 1. Cor. 0 Luc. 10. Mala. 2. Epheſ. 2. 1. Pet. 1.

Quot ſunt Charitatis præcepta?

DVo quidem ſummaria: Primum de diligendo Deo, ſic in veteri nouaque Lege propoſitum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc eſt primum, & maximum mandatum. Secundum autē ſimile eſt huic; Diliges proximū tuū ſicut te ipſum. Deut. 6. Matt. 22. Luc. 10. Mar. 12.

In his duobus præceptis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ, inquit ipſa Veritas. Et rurſus per Apoſtolum. Plenitudo Legis eſt dilectio: & Fi-
Rom. 13. nis præcepti eſt charitas de corde
1. Tim. 1. puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

Quo indicio ſe prodit ſyncera Charitas?

1. Ioan. 5. HAec eſt Charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt, inquit Ioannes ille Chriſto dilectus. Tum Chriſtus ipſe docet: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Qui ha-
Ioan. 14. bet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Cæterum hęc ipſa Dei

mandata in Decalogo maxime cernimus.

Quo pacto recenſentur mandata Decalogi?

ITa in Exodo legimus.
Ego ſum Dominus Deus tuus. Exo.20. Leui.19. Deut. 5.
1 Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, vt adores illud.
2 Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.
3 Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.
4 Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longęuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.
5 Non occides.
6 Non mœchaberis.
7 Non furtum facies.
8 Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

9 Non concupiſces vxorem proximi tui.

10 Non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillàm, non bouem, non aſinum, & vniuerſa, quę illius ſunt.

Quid ſibi vult hoc exordium: Ego ſum Dominus Deus tuus?

DEcalogum exorditur Deus a notitia ſui, & ab inſinuatione Maieſtatis ſuę; vt certa quędam, & ſacroſancta hiſce legibus auctoritas conſtet. Nempe tam ſerio nobiſcum agitur, vt, ſi vnquam ſalui eſſe velimus, hic velut in clariſſimo ſpeculo, Diuinę Maieſtatis voluntatem certam contemplemur, agni-
Rom. 8. tamque Legem illàm ſanctiſsimá, adiuuante Chriſti ſpiritu, accurate ſeruemus. Nec enim pręcipit ſo-
Pſal. 83. lum, ſed benedictionem quoque

promittit, & opem tribuit noſter Legiſlator. Spiritum meum inquit, ponam in medio veſtri: & faciam, vt in pręceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Quare cum Chriſtus etiam pręcepiſſet: Tollite iugum meum ſuper vos, ne quis cauſaretur difficultatem, adiecit: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue: ijs videlicet, qui gratię ſpiritu imbuti, in charitate non ficta ambulant. Eze. 36. Matt. 11. 2. Cor. 6.

Quid complectitur in ſe primum pręceptum?

PRohibet, ac damnat Idololatriam, obſeruationes ſuperſtitioſas, vſum etiam artis magicæ vel diuinatoriæ. Docet etiam, atque exigit, vt nullam prorſus creaturã quantumuis excellentem, pro Deo habeamus, ſed ſolum vnum, verũ, Leuit. 1. Eſa. 40. Deu. 18. Eccl. 34. Mar. 12.

1. Co. 8. ęternum, immenſumque Deum credamus, & confiteamur: cui vni tribuatur ſummus, & ſingularis ille
Deu. 6. cultus, quem Græci Latriam appel
Matt. 4. lant. Hoc fit, vt ſuper omnia colamus inuocemus, adoremus ſummũ
Eſai. 44. illud bonum, Opt. Max. Creatorē,
Oze. 13. Redemptorem, Saluatorem, vnum
Epheſ. 4. & immortalem Deum, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Quomodo præter Deum Sanctos colimus, & inuocamus?

Lib. 20. contra Fauſtum. RESpondet Auguſtinus; Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur.

Quod autem hic de Martyribus dicitur, ad omnes etiam Sanctos

cum Chriſto regnantes ſpectas, non illos quidem vti Deos Ethnicorum more colendos, neque perinde ac Deum ſanctum ſanctorum, ſed longe inferiore modo, & gradu vtpote velut amicos, filios, hæredesque Dei & cohæredes Christi lectiſſimos, atque beatiſſimos venerandos. Qui prętetea noſtrę ſaluti eo ſtudent, fauentq; impenſius, quo ſunt in omni charitate, in omni virtute, ac cœleſti gloria perfectiores; quàm hic in carne eſſe potuiſſent. Sicut igitur infra Deum illos pluſquam vllos in terra mortales recte amamus ita eoſdem tali, tantaque dignitate auctos honoramus: etiam, atque pro Christiana pietate inuocamus: hac tamen cautione ſemper addita, vt ſummus honos, ſummuſq; cultus, quem Latriam eſſe diximus, ſummo Deo, & Mediatori Chriſto debitus, integre conſeruetur.

Damaſ. lib. 4. Rom. 8. 1. Co. 13. 2. Cor. 5. Auguſt. lib. 20. cō tra Fauſt. Amb. lib. 1. de viduis. Euſe. lib. 4. Hiero. ad Riparum.

Quod autem hunc in modum

Baſil. de Sanctos inuocamus, adeo Chriſti
40. Mar- Saluatoris, & Domini noſtri glo-
tyribus. riam non obſcurat, vt etiam ma-
Pſal. 67. gis ac magis illuſtret, amplificet,
Ioan. 12. augeatque. Hic enim eximia Chri
Pſal. 128. ſti Redemptoris virtus ſplendeſcit,
Chryſoſt. ac gloria, quòd is non quidem in ſe
Hom. 41. tantum, ſed in Sanctis etiam ſuis
in Gen. eſt, apparetque potens, glorio-
Gen. 26. ſus, mirabilis: quòd eoſdem ho-
Exo. 32. norat ipſe, nimiſque honorari
4. Re. 19. vult in cœlo & in terra: quòd per
2. Macha. eos itidem, & propter eos multa
15. largitur, & parcit ſępe immeren-
Baſilius tibus, vt in Abraham, Iſaac, Ia-
Chryſoſ. cob, Dauid, Hieremia cernimus,
Auguſt. qui etiam defuncti viuis profuiſſe
Ambroſ. leguntur. Vnde Patres quum de
Bernar. Sanctis loquuntur, ſuffragatores
Theoph. eos, & interceſſores, patronoſque
in Paul. noſtros frequenter appellant. Nec
Chryſoſ. immerito ſanè, quòd Sanctorum
in Miſſa. fida ſuffragia, quum humiliter, &
Hieron. pie in Chriſti nomine imploran-

tur, experientia teſte multis opitulentur.

Hæc fuit iam olim Eccleſię Orthodoxę, hęc & nunc eſt erga Sanctos conſtans pietas: hanc doctrinam veluti per manus ad nos tranſmiſſam, & ſacris itidem Synodis, patrumque concordibus ſententijs, & indubitatis exemplis confirmatam retinent Catholici, obſtrepant licet Vigilantiani iam olim condemnati.

contra Vigilan.
6. Synodus, & 2. Nicena.
Euſeb.
Niceph.

Pugnat ne cum hoc primo præcepto vſus receptus imaginum Christi, atque Sanctorum?

Haud quaquàm, quia non ſicut Ethnici ſolent, adoremus ſculptilia, ligna, lapides, perinde ac Deos quoſdam (id enim hoc pręcepto cauetur maxime, ſed more Chriſtiano, & mente pia venera-

Baro. 8.
Deut. 4. 5.
Leui. 19.

mur illic Chriſtum ipſum, & Sanctos, vbi per imagines prępoſitas nobis repręſentantur. Ita tum prę-ſens, tum vetus Eccleſia ſummo cõſenſu docet, commendans nobis pias, & venerandas Imagines; vt quarum vſum Apoſtolica etiam traditione commendatum accepe-rimus, & ſacroſancta Patrum Synodo approbatum retineamus. Quapropter damnatus eſt error Iconoclaſtarum non diſtinguentium ſcilicet, inter ſimulacra Deorum, & imagines Chriſti, atque Sanctorũ. Neq; rationem iſti habent temporis gratię, ſeu nouę Legis, quo Deus homo factus imaginem ſimilitudinemq; ſuam initio a ſe creatam ipſe induit, atque in ea ſe nobis reprę-ſentauit.

Grego. libro 6. Epiſt. Damaſ. lib. 4.

Baſil. in epiſto. ad Iulianum apoſt. Synod. Nicena. 2. Philip. 2.

✠

Quid

Quid nobis præſcribit ſecundum præceptum?

PRohibet abuſum Diuini nominis & irreuerentiam,quę committitur a periuris, blaſphemis, & per Deum,Sanctos,vel ſacra temere iurantibus contra illud, Nolite iurare: ſit ſermo veſter,eſt,eſt; non, non. Deinde requirit, vt iuxta rectum linguę vſum ingentem reuerentiam Diuino nomini exhibeamus, iuramenta ſeruemus, denique vt Verbum Dei tractemus reuerenter.

Leuí. 19. Zach. 8. Eccl. 23. Matt. 5. Iacob. 5. Pſal. 14.

Quid imperat tertium pręceptum?

POſtulat Sabbatum,ſeu diem feſtum in Eccleſia, pijs operibus tranſigi. Vult igitur,vt animus tunc adſit curis vacuus,qui ſe libere trāſ-

Exo. 30. Leuit. 23. Hier.

ſetat ad cultum interiorem, & exteriorem Deo præſtandum in fide, ſpe, & charitate. Vult, vt expediti diuina meditemur beneficia; tractemus ſacra; oremus, & adoremus Deum publice cum alijs in Spiritu & veritate. Prohibet autem diebus feſtis laborare, & occupationibus deditum eſſe prophanis, vt ocio ſancto vacemus, adeundo Templũ, & audiendo publicum Eccleſiæ ſacrũ ſeu Miſſam, vt vocant, ſtatam concionem, quemadmodum hoc prçceptum Eccleſia interpretatur.

Ioan. 4.

De conſ. diſtinct. 1. & 3.

Quæ ſumma eſt horum trium præceptorum?

HAEc tria priora quidem præcepta, quæ ſunt primæ tabulç, nos eò inſtituunt, vt verum Deo cultum prçſtemus; interiorem ſcilicet, & exteriorem corde, ore, & opere, priuatim, & publice. Re-

liqua ſeptem, quę porro ſequũtur, pręcepta dicuntur ſecundę tabulę; in hoc addita vt noſtrum erga proximum officium explicent.

Quid proponit, & iniungit quartum præceptum?

DOcentur hic tum filij, tum ſubditi, quid ſuis debeant parentibus, & maioribus, id eſt, omnibus, qui dignitate, & poteſtate quadam præcellunt ſiue in politicis, ſiue in eccleſiaſticis magiſtratibus gerendis. Debent autem his ipſis tum interiorem, tum exteriorem quandam reuerentiam, & obſeruantiam, opem itidem, & obedientiam. Cauetur præterea, ne quacunq; ratione vel offendamus, vel cõtriſtemus perſonas eiuſmodi ſubliminiores; ſiue verbis id fiat, vel ſignis, ſiue factis.

Epheſ.6.
Rom.13.
Heb.13.
1.Tim.6.
1.Petri.5.

Quid includit quintum prę-ceptum?

Matt. 5. Deut. 5. NOn ſolum externam prohibet cædem, & vim omnem, quæ corpus, & vitam proximi lędit: ſed etiam excludit iram, odiũ, rancorem, indignationem, & quoſuis internos affectus ad proximi lęſionem propenſos. Requirit vero animi manſuetudinem, humanitatem, clementiam, comitatem, beneficentiam: vt iniuriarum facile obliuiſcamur: non expetamus vindi-Rom. 12. Eph. 4. Coloſ. ctam; ſed condonemus inuicem offenſas, ſicut in Chriſto Deus nobis donauit.

Quid habet ſextum pręceptum?

Matt. 5. 2. Cor. 6. Matt. 5. PRohibet fornicationem, adulterium, & omnem concubitum illegitimum, ac impuram qualem-

cunque libidinem. Caueri præterea Ephe. 4.
& prẹſcindi vult occaſiones, quæ & 5.
carnis libidinem irritant, ac fouet: 1. Pet. 2.
vt ſunt obſcena verba, cantilenę in- 1. Theſ. 4.
honeſtæ, geſtus minime caſti. Re- Heb. 13.
quirit ex aduerſo fidem in coniu- Tob. 5.
gio, tum pudicitiam omnem ſiue Eſai. 2.
cordis in cogitationibus, & deſide- Eccl. 9.
riis, ſiue corporis in lingua, facie, 1. Tim. 2.
oculis, auribus, tactu, atque in 1. Pet. 3.
omni demum habitu, cultuque cor
poris.

Quid docetur in ſeptimo precepto?

PRohibetur hic omnis rei alienę Ephe. 4.
illicita contrectatio & vſurpa- 1. Cor. 6.
tio, per furtum, rapinam, vſuras, lu Lucæ. 6.
cra iniuſta, dolum malum, & quoſ- 1. Theſ. 4.
uis contractus, quibus Chriſtiana Theſ. 4.
charitas læditur, ac proximus frau-
de circumuenitur. Exigit e regione
hoc præceptum, vt in omni nego-

Luc.6. cio, ſeu commercio inuiolata ſer-
Ezec.17. uetur ęquitas, & proximi vtilitas, ſicubi ſeſe offerat occaſio, promoueatur.

Quid in octauo præcepto comprehenſum eſt?

Exod.20. Luc.19. Deut. 5. 16.10.27 Pro.4.24 Iacob.4. 1.Pet.2. Epheſ.4. Iacob.3. Epheſ.4. Pro.17. & 18. Matth.12 Coloſ.4. Epheſ.4.

PRohibemur eo falſum, doloſumúe teſtimonium in quenquam proferre, & quoquo modo proximi cauſam in iudicio ſubuertere, vel etiam extra iudicium famã lædere: quod ſane fit à ſuſurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus. Breuiter omne mendacium, & omnis linguę contra proximum abuſus hic excluditur. Docemur interim de proximo bene, & commode loqui: nempe ad illius defenſionem, & vtilitatem ſine fuco, ſimulatione, inſidijſúe.

Duo poſtrema præcepta quid continent?

VEtant concupiſcentiam vxoris, ac rei alienæ; vt non ſolũ ab vxore aliena, illicitis cõmercijs, & externa, apertaque iniuſtitia nos abſtineamus; ſed ne volunrate quidem noceamus cuiquam, aut nocere deliberemus. Exigit igitur vtrunq; hoc præceptum cordis ſynceritatem, & beneuolentiam erga omnes integram; vt quæ in rem, & ſalutem proximi ſunt, optemus ex animo: neque cupiditati vnquam cum leui etiam alterius iniuria con ſentiamus.

Deut. 5. Eccleſ. 5. Matth. 5. 1. Theſ. 4. Iacob. 1 Eſai. 1. Epheſ. 4. Coloſ. 3. Eccl. 1. 8.

Quo demum referenda ſunt mandata Decalogi omnia?

AD Charitatem, quam nobis geminam duæ illæ tabulæ, in Auguſt.

lib. 2. ſuper Exo. quibus Dei digito mandata hęc, ſcripta fuerunt, commendant. Docent enim mandata primę tabulę, quę ad charitatem Dei: mandata vero ſecundæ tabulæ, quæ ad charitatem Proximi ſpectant. Hęc autem Charitas Dei eſt, vt mandata eius cuſtodiamus. Qui enim dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius nõ cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſeruat verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta eſt in hoc ſcimus, quoniã in ipſo ſumus. Deus charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hęc Ioannes Apoſtolus. Recte igitur dictum accepimus: Probatio dilectionis, ſeu Charitatis, exhibitio eſt operis.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 2.

Ioan. 4.

Gregor. in Hom.

Vnde Charitatis argumenta, & officia propria dignoſcuntur?

CHaritas patiens eſt, benigna eſt.

Charitas non æmulatur, non agit perperam. 1.Cor.13.

Non inflatur, non eſt ambitioſa.

Non querit que ſua ſunt.

Non irritatur, non cogitat malum.

Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.

Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Sic Charitate Chriſti flagrans Apoſtolus ille Paulus. Rom.8.

Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum (teſtatur Diuinum Oraculum) & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhereas. Ipſe enim eſt Deu.30.

vita tua, & longitudo dierum tuo-
rum. Breuiter, vt Chriſti quoque do-
ctrinam legi reſpondentem accipi-
Matt. 19. as: Si vis ad vitam ingredi, ſerua
Luc. 10. mandata. Hoc fac, & viues.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Sunt ne præter Decalogum alia præcepta Chriſtianis obſeruanda?

Iacob. 4. Matt. 23. Matt. 19. SVNT vtique, quã do Legiſlator, & Magiſter noſter, Chriſtus nõ ſolum docuit præcepta Decalogi; ſed etiã in vniuerſum præcepit, quȩ ad obedientiam Apoſtolicis, & Eccle-ſiaſticis mandatis prȩſtandam ſpȩ-

ctant. Hinc extant Euangelicę illæ ſententiæ: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. Si non audierit eos, dic Eccleſię: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, Vbi ſummum atque extremum iudicium Chriſtus defert, deferrique iubet ad Eccleſiam, id eſt, ad Eccleſię Præpoſitos, & Rectores; ſicut Chryſoſtomus interpretatur; & verba Euangelij mox ſequentia declarant, atque conuincunt. Proinde nec fruſtra ſcriptum eſt de Apoſtolo Paulo: Perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, pręcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.

Ioan. 10.
Luc. 10.
Matt. 18.
3.Reg.8.
In Mat.
Matt. 18.
Acto. 5.

Cuiuſmodi porro ſunt Apoſtolorum, ſeniorumq; pręcepta, quę Paulus cuſtodire iuſſit?

De Eccl. Hierar. Et Baſil. de Spiritu ſancto. 1. Ioan. 4.

PAuli diſcipulus Dionyſius Areopagita teſtatur, duplicis ea generis eſſe, partim ſcripta, partim non ſcripta. Ad vtrunque genus pertinet quod Ioannes affirmat Euangeliſta: Qui nouit Deum, audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritus erroris. Ac primũ quidem genus, quod literis mandatur, ſcriptiſque legibus conſtat, ſatis eſt perſpicuum: poſterius vero circa præcepta, & inſtituta ea verſatur, quæ vno Traditionum nomine comprehendi, & ſic a Patribus nuncupari ſolent. Non enim ſcripto, vti ſuperiora, ſed viua voce tradita, & veluti per manus a Maioribus ad nos tranſ-

Cypr. de ablut. pedum. Hieron. contra. Lucifer. Chryſoſ.

miſſa, Eccleſięque commendata retinentur. In. 2. ad Theſſ. 2.

Eſt ne vtrunque hoc pręceptorum genus obſeruatu neceſſarium?

EST plane, ſi doctorem Paulū ſequimur: Itaque fratres ſtate, inquit, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. 1. Teſ. 4. Vnde laudat hoc nomine Corinthios, quod Apoſtolica pręcepta, quę viua voce tradita iam acceperant, ſedulo cuſtodirent. 1. Cor. 11. Atque hoc eſt, quod ſacroſancta ſynodus Nicęna diuinę ſcripturæ conſonans, verbis tam luculentis expreſſit: Oportet nos Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine in Eccleſia retentas, vnanimiter & inuiolabiliter obſeruare. 2. Nic. cō trarIconomachos.

✠

Quomodo cognoſcemus, quę ſint Apoſtolicæ, & probatæ in Eccleſia traditiones?

In epiſt. ad Ianuarium.

DE his nobis Regulam obſeruatu digniſſimam Auguſtinus præſcribit. Illa, inquiens, quę nō ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quę quidem toto terrarum orbe ſeruātur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri. Sic idem rurſus docet contra Donatiſtas: Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Conſonat Leo ille Magnus, cum ait: Dubitandum non eſt, quicquid in Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de Traditione

De bapti. contra Donat. li. 4. cap. 24.

Serm. 2. de ieiun. Pente.

Apoſtolica, & de ſancti ſpiritus prodire doctrina.

Exempla profer Traditionum Apoſtolicarum, quæ Chriſtianis obſeruandæ demandantur?

HOc loco, vt veritas indubitata conſtet, exempla quædam a ſanctis petemus Patribus, qui vel ante mille annos fidem publicam meruerunt. Nimirum ſecundum Traditionem Origenes a & Auguſtinus docent, b Paruulos eſſe baptizandos: Dionyſius c & Tertullianus d oſtendunt, precationes & oblationes pro defunctis ad altare fieri oportere. Hinc Hieronymus e & Epiphanius f ſtatas Eccleſiæ ieiunationes, præſertim Quadrageſimæ, obſeruandas eſſe commonſtrant. Sic etiam Ambroſius

a In ca. 6. ad Rom.
b Lib. 1. de origi. animæ.
c De Eccleſ. Hierarch.
d De exhorsa. caſtitat.
e Ad Marcellam.
f Contra Aerium.

g In officio Mediolanen.
h In Liturgia.
Lib.4.contra Iconomachos.
De ſpiritu ſancto cap.27.

g & Chryſoſtomus h eorum dignitatem adſtruunt, quę in ſacro Miſſę officio ſolenniter peraguntur. Tũ prętor Damaſcenum, Patres, quos Nicæna Synodus ſecunda citat, eadem ratione teſtantur, quòd Chriſti & Sanctorum eius Imagines deceat venerari. Demum, vt cęteros omittamus, Magnus ille Baſilius ob traditionem retineri vult ſacrum Chriſma, aliaſque ſolennes ceremonias, quę Sacramentis ſanctiſſimis adhibentur.

Ibidem.

Cap. 29.

Et addit Baſilius: Si inſtituta conſuetudineſque non ſcriptas tanquã in eis vis magna non inſit, ſemel repudiare aggrediemur, clam, ac pedetentim ratas ipſas Euangelii ſententias improbabimus, aut potius ad inane nomen eius prędicationem contrahemus. Sed Apoſtolicum exiſtimo, ait, in iis etiam traditionibus, quę ſcriptę non ſunt, permanere.

Quantum hodie circa traditionum huiuſmodi dignitatem, & auctoritatem aberratur?

PLurimum. Grauiter enim erratur circa doctrinam de hiſce Apoſtolicis & Eccleſiaſticis traditionibus, dum eas pleriquc contemnunt, alii negligunt, aut certe pluris non faciunt, quàm ceteras. Magiſtratuum Politicorum conſtitutiones & hæc inſtituta eſſe hominum fingunt, quę vel obſeruare, vel omittere liberum ſit, exiguęque, aut nullius omnino frugis: ipſi Adiaphora vocant. Sunt qui vniuerſas fere traditiones eiuſdem eſſe ponderis velint, atque adeo fœde commiſcent Scripturę loca, perinde ac idem ſit iudicium de Traditionibus Phariſaicis & Apoſtolicis, de Iudaicis & Eccleſiaſticis, de pri-

uatis, ſeu particularibus & iis, quæ totius Eccleſiæ conſenſu receptæ, communiq́; piorum vſu paſſim comprobatæ inueniuntur.

Quid vero de iis iudicandum, qui Eccleſiæ Traditiones repudiant, ac pro nihilo habent?

2.Theſ.2. HOs verbum Dei redarguit, cũ
1.Cor.11. Traditiones obſeruandas eſſe
Mat. 18. decernit, cum iubet Eccleſiam au-
Act. 15. dire, & Apoſtolorum, Seniorumq́;
Rom. 13. præcepta cuſtodire. Verbum Dei
Matt. 22. ſubijcit nos Magiſtratibus cum Po
& 23. liticis tum Eccleſiaſticis, modeſtis
Luc. 10. iuxta & diſcolis, idque propter con
1. Pet.2. ſcientiam: horum legibus deferri
Rom.13. vult & reuerentiam & obedientiam
Tit.3. maximam. Obedite, inquit, Præ-
Heb. 13. poſitis veſtris, & ſubiacete eis: Om
Mat.28. nia quæcunque dixerint vobis, ſer-
1.Theſ.4. uate, & facite; ſecundum opera ve-

co eorum nolite facere. Quapropter iſti non tam homines ſpernunt, quàm Deum ipſum Opt. Max. quem in Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus audire, ac reuereri ſane oportebat. Ita reſiſtunt plane verbo Dei, dum poteſtati & ordinationi Dei reſiſtunt, & hinc, ſi Paulo credimus, ſibi damnationem acquirunt. Nimirum Diuina eſt iſtæc ordinatio; nec aboleri poteſt humana auctoritate, vt certis legibus, iiſque partim ſcriptis, partim non ſcriptis, quas Apoſtolica nobis commendat Traditio, Eccleſia regatur, dogmata conſeruentur, Religio vindicetur, diſciplina retineatur.

Luc. 10. Ioan. 20. Mat. 10. 1. Cor. 13. Rom. 13. Baſil. cap. 27. de Spiritu ſancto. Et Auguſti. contra Donatiſtas. Et Epipha. contra Melchiſ. In cap. 3. Epiſt. ad Titum.

Quid Patres hac de re iudicant?

ORigenes, qui celebris, & peruetuſtus eſt auctor, in hæc

verba ſcripſit: Hæreticus nobis habendus eſt omnis quicúq; Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quàm habeat definitio traditionis Eccleſiaſticę. Idem vero alibi: Illa ſola credenda eſt veritas, inquit, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione. Et Hieronymi verbum eſt. Ego illud te breuiter admonendum puto: Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ Fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt a maioribus traditæ ſunt. Auguſtinus vero ita docet: Si quid Diuinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, nō eſt dubitandum quin ita facere debeamus, vt legimus: ſimiliter etiam, ſi quid per orbem frequentet Eccleſia. Nam hoc, quín ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Tum rurſus: In ijs rebus, de quibus, nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos po-

Ad Lucinium.

Epiſtol. 118.

Ad Caſulanum epiſt. 86.

puli Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. Et ſicut præuaricatores, diuinarum legum, ita cõtemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt. Si quis autem videtur cõtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

diſt. 11. ca. in his.

1. Co. 14.

Age vero, quid eſt Eccleſia?

Eccleſia eſt omnium Chriſti fidem, atque doctrinam profitẽtium vniuerſitas, quam Princeps ille Paſtorum tum Petro Apoſtolo, tum huius ſucceſſoribus paſcẽdam tradidit, atque gubernandam.

1. Cor. 13. 1. Pet. 5. Ioan. 21. Mat. 16. Conciliũ Florent.

Quænam Eccleſiæ dignitas eſt, atque auctoritas?

Multis, & eximiis ſane dotibus, promiſſionibus, ac be-

1. Cor. 12. Eph. 4.

Ioan.14. neficiis illuſtrat Deus Eccleſiam ſuã;
16. & 17. qua nihil habet in terris charius.
Matt.28. Hanc vſque ornat, conſeruat, de-
& 16. fendit, vindicat: hanc porro con-
Pſal.120. ſtituit eſſe domum ſuam, in qua o-
1.Tim.3. mnes filij Dei foueantur, doceantur,
Pſal.22. & exerceantur: Voluit eſſe colum-
Ioan. 10. nam, & firmamentum veritatis, vt
1.Tim.3. de illius non dubitemus doctrina,
Cypri.de quę tanquam magiſtra, cuſtos, &
Simplicita interpres veritatis, fidem, atque au-
te Pręlato ctoritatem obtinuit inuiolabilem.
rum. Præterea fundatam eſſe ſupra fir-
Matt. 16. mam petram decreuit, vt certi eſ-
Epheſ.2. ſemus eam inuiolabilem, inconcuſ-
Pſal.86. ſamq; ſtare, atque inferorum etiã
Matt. 5. portis inexpugnabilem præualere.
Apoſt.21 Demum vult eam ſanctiſſimam
Malac.1. quandam eſſe ciuitatem ſupra mõ-
Actor.1. tẽm poſitam, omnibuſque conſpi-
Pſal.21. cuam, atque aditu facilem: ne quis
1.Ioan.2 ea relicta peſtiferas ſpeluncas, late-
Matt.24. braſque conſectetur, atque inſanis
& ib ibe. illis vocibus; Ecce hic eſt Chriſtus,

ecce illic, forte percuſſus, ab ea diuertat, aut dimoueatur.

Hæc eſt, quam ſcriptura nobis proponit, atque commendat Chriſti amica, ſoror, & ſponſa vnica: pro qua redimenda, mundanda, cógreganda, ſanctificanda, & prorſus adiungenda ſibi, Filius Dei nihil non fecit, ac pertulit, vt corpus etiam, ſanguinemque ſuum ſacroſanctum illius amore tradiderit. Pro hac rogauit, & impetrauit, vt fides, vnitas, & firmitudo eius deficeret nunquam. Huic promiſit, fideliterq; tranſmiſit, & reliquit doctorem, præſidem, ac rectorem Spiritum Sanctum. Ille, inquit ipſa veritas, docebit vos omnia, ille ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis: ille docebit vos, & ſemper docebit omnem veritatem, ſcitu videlicet, creditúque neceſſariam.

Origen.
Cant. 4. 6.
Epheſ. 5.
Ioan. 11.
Ioan. 17.
Luc. 12.
Matt. 16.
Ioan. 14. 15. & 16.
Acto. 2.
Ioan. 14. & 16.

Per quos tandem nos docet Spiritus in Eccleſia veritatem?

Acto. 20. PEr eos plane, quos Apoſtolus
1.Tim.3. teſtatur, a Spiritu ſancto eſſe
Heb. 13. conſtitutos, vt Eccleſiam regant:
Epheſ. 4. eoſdemque vocat Epiſcopos, Præ-
1.Cor.12. poſitos, Paſtores itidem, atq; Do-
Ex Can. ctores. Qui poſt Apoſtolos fuere
Apoſt.33. ſemper, ac etiãnum ſunt primarij
37.&38. Dei, Eccleſięq; miniſtri, & ſummi
1.Cor. 4. diſpenſatores myſteriorum Dei.
Exo.36. Horum vero auctoritas in ſacris
Can.Apo Synodis quàm maxime cernitur,
ſtol. vbi de fide, ac religione illi nõ mo-
Auguſt.ad do definire quędam; ſed ſuo etiam
Ianuariũ iure, ac pro auctoritate Apoſtolica
Epiſ.118. conteſtari poſſunt, ac dicere: VI-
Acto.15. SVM EST SPIRITVI
SANCTO, ET NOBIS.
ſicut ex actis conſtat primi Concilij Hieroſolymis celebrati.

Quorſú vero ſpectat diuina iſthęc ordinatio, vt Paſtores, & Doctores in Eccleſia conſeruentur?

NOn parum vtilis, ac ſalutaris eſt nobis diuina hæc ordinatio, ſeu inſtitutio. Prodeſt enim ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti: item, vt nó ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuctionem erroris, quin potius, vt veritatem faciétes, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput noſtrú Chriſtus, vt apud Paulum legimus. Epheſ. 4.

Quo pacto inſignes hos fructus conſequamur?

ITa nimirum, ſi non alte, ſed ſobrie ſciamus ſoliciti ſemper ſer- Rom. 11.

Ephe.4. uare vnitatem Spiritus in vinculo
Ioan. 10. pacis,vt noſmet oues Chriſti humi
& 21. les,obedienteſq; preſtemus. Quarũ
Ioan. 10. ſane ouium illud eſt proprium,Lu-
Tit. 3. pos fugere; nec alienos,ſed ſuos Pa
Heb.13. ſtores ſequi: illis, velut Ordinariis
Matt. 10. ouilis Dominici Præfectis, ſeſe ſub-
Ioan. 11. mittere,in illis audire ſpiritum Ve-
Mar.23. ritatis. Is eſt, qui per malos etiam
Phili.1. Prepoſitos Dominicum gregem
Mat.18. docere, paſcere, & conſeruare di-
Deut. 17. gnatur, quiq; per eoſdem,tum Dei
Prou.1. Patris, tum Eccleſie Matris prece-
pta nobis his verbis commendat:
Audi, Fili mi, diſciplinam Patris
tui,& ne dimittas legem Matris tue.

Quæ ſunt præcepta Eccleſie?

Concil. Lugdun. Ex Can. 47. & 21. Concil.

PRæcipua quinq; numerantur, cuiq; Chriſtiano & ſcitu,& obſeruatu certe neceſſaria.

1 Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato.

2 Sacrum Miſſę officium diebus feſtis reuerenter audito. | Agalhen.
Exo.68.
3 Ieiunia certis diebus, temporibuſque indicta obſeruato, vt in Quadrageſima; Quattuor anni tẽporibus, & Feſtorum quorundam ſolennium pridianis diebus, quos Maiores noſtri, quòd ijſdem temporibus in templis ꝑuigilaretur, Vigilias appellarunt. | can. Apo. & Conc. Gãgr. & Moguntiaco, & Salegunſtadienſi. Tertnll. ad vxorẽ li.2,& in Apolog.
4 Peccata tua Sacerdoti proprio annis ſingulis confitetor.
5 Sacroſanctam Euchariſtiam ad minimum ſemel in anno, idque circa Feſtum Paſchæ, ſumito. | Ex Concii. Lateran.c. 21. Ibidem.

Quęm fructum adfert horum prçceptorum obſeruatio?

HAec & eiuſcemodi reliqua Ecclęſiæ tum inſtituta, tum præcepta, tot ſęculis recepta, magnoq; piorum conſenſu, & vſu confirmata, pietati atque rationi valde

Phil. 4. conſentanea, inſignes ſecum adfe-
1. Cor. 14 runt commoditates. Quippe Fidei, humilitatis, & obedientiæ Chriſtianæ ſalutaria ſunt exercitia: honeſtam diſciplinam, & concordiam
Matt. 5. popularem promouent: Religio-
Rom. 15. nis pulchra extant ſymbola: notę,
Phil. 2. & indicia interioris noſtræ pietatis, quibus ad ædificationem, & bonis collucere, & malis prælucere oporteat. Breuiter, eo nos promo-
1. Cor. 14. uent, vt Apoſtolicus ille Canon: Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis, & ad vnguem obſeruentur.

Vbi neceſſaria eſt nobis Eccleſiæ auctoritas?

Ad Damaſum in Symb. & in lib. Machabæo.

PRimum in eo quidem, vt Scripturas Canonicas, & veras ab adulterinis certo diſcernamus. Vnde teſtatur Hieronymus: Nouum & vetus Teſtamentum recipimus,

In illorum librorum numero, quē ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit au ctoritas. Et Auguſtinus: Ego vero inquit, Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commo neret auctoritas. Deinde vt conſtet de vero ſcripturę ſēſu, & apta inter pretatione: ne alioquin ſine fine du bitemus, vel diſceptemus de verbo rum ſententia. Omnes enim Hæretici, vt ſcripſit idem Auguſtinus, ex ſacris Scripturis falſas, atque fallaces opiniones ſuas conantur defendere. Atqui non in legendo, ſed in intelligendo Scripturæ conſiſtunt, Hieronymo teſte.

Contra epiſt. Manichei. Vincent. Lirinen. contra nouatores.

Lib. 1. de Trinitate.

Tertio, vt in grauioribus de fide quæſtionibus, atque controuerſiis, quæ poſſunt incidere, iudex, & moderator adſit. Veriſſimum eſt enim quod contra Hæreticos docet Epi phanius, a Diuina ſcriptura non poſſe accipi omnia. Et ſi vt Augu ſtinus affirmat; Palam eſt, quod in

Aduer. Luciferianos. Deut. 17. Acto. 15. Contra Apoſtolicos.

Contra Manicheos. Ioan. 14. & 16. Canon. Apoſt. 32. 36. 38. 1. Co. 10. Matt. 18. Ex Canon Apoſtol. 10. 11. 12. Lib. de fide & operibus.

re dubia ad fidem, & certitudinem valeat auctoritas Eccleſiæ Catholicæ. Non enim deeſſe poteſt Eccleſię Spiritus, qui ipſam in omnem ducit veritatem, ſicut Chriſtus ipſe promiſit. Rurſus, vt pro ratione perſonarum, locorum, & temporum Canones conſtituantur, diſciplina integra conſeruetur, ac iura dicantur. Dedit enim hanc poteſtatem Deus Eccleſię ad ędificationem, & non ad deſtructionem.

Præterea, vt quam Chriſtus inſtituit coercendi, & excommunicandi poteſtatem, qua Paulus etiam eſt vſus, peruicaces ſentiant, ipſaque corrigantur, & comprimantur. Hinc Auguſtinus, Eis, inquit, per quos Eccleſia regitur, adeſt ſalua pace, poteſtas diſciplinę aduerſus improbos, ac nefarios exercendę.

Iam, vt cętera omittamus, in omnibus his profecto, quę dicta

ſunt, Eccleſię auctoritatem non ſolum vtilem, ſed etiam neceſſariam eſſe adeo conſtat, vt ſine illa nihil aliud Chriſtiana reſpublica, quàm confuſio Babylonica poſſit exiſtimari. Proinde ſicut Scripturę propter teſtimonium Diuini Spiritus in illa loquentis credimus, adhęremus, ac tribuimus maximam auctoritatem: ſic Eccleſię fidem, reuerentiam, obedientiamque debemus, quod eo ipſo Spiritu a Chriſto capite, ſponſoque ſuo informata, dotata ſimul, & confirmata ſit: vt non poſſit non eſſe, quod dicitur, columna, & firmamentum Veritatis.

2. Pet. 1. 2. Tim. 3. Matt. 18. Ioan. 14. & 16. Act. 2. Ephe. 4. 1. Tim. 3.

Quis eſt doctrinę totius de Eccleſię præceptis, & traditionibus vſus, ac fructus?

MVltus profecto, atque inter cęteros primus eſt, vt intelligamus nos ſolis Diuinis literis,

Vincent. Lirinen. Lib. 3.

cap. 4. vel ſcripturis minime alligari. Quid enim, vt Irenæi verbis vtanrur, ſi ne Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, non ne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Nec minus luculēter ſcripſit Baſilius: Dogmata, quæ in Eccleſia ſeruantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus: partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent: & nemo his contradicit, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſticorum iurium experientiā habet. Sic Baſilius. Neque dubium eſſe poteſt, quin Chriſtus, & Apoſtoli multa tum egerint, tū docuerint, quæ & ſi ſcripta quidem nō ſint, ad nos tamen, poſteroſq; maxime pertineāt. Audi Chriſtum in Apoſtolo ſuo loquentem: De cętero, Fratres, quæcunque

Lib. de Spiritu ſancto cap. 27.

Ioan. 20. & 21.

Auguſt. ad Seleucianam. epi. 108.

Phil. 4.

cunque ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunque iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.

Proximus eſt, recte vti Chriſtiana libertate, quam homines ocio, Galat. 4.
luxuque capti, ſi vnquam alias, nunc 2. Pet. 2.
maxime dant in occaſionem carnis, vt Apoſtolus loquitur: Illius prætextu fœdis voluptatibus inſeruiűt, Galat. 5.
& quidquid fere libet, etiam circa Religionis inſtituta, id licere ſibi arbitrantur. Atqui ab iſta temeritate nos reuocant, tuentur, deterrent Apoſtolica, & Eccleſiaſtica dogmata, atq; inſtituta: hęc enim fræ- Auguſti. epi. 118.
num inijciunt humanæ licentię, docent conuenienter vti Chriſtiana libertate: ita nimirum, vt a iure pec- 1. Pet. 2.
cati, & a ſeruitute veteris legis per Rom. 6.
Chriſtum effecti liberi, vltro, li- Galat. 3.
benterque præſtemus Chriſtianum & 4.
officium, ſeruiamus Deo in iuſtitia, Rom. 8.

Coloſſ. 3. & ſanctitate, ducem ſequamur Spi-
Luc. 1. ritum in lege Charitatis. Iuſtitiæ
Rom. 8. ſerui, obedientię filij, humilitatis
Galat. 5. cultores, patientię cuſtodes, pœni-
1. Cor. 9. tentię, & crucis amatores. Vos, in-
1. Pet. 1. quit Apoſtolus, in libertatem voca
Luc. 21. ti eſtis Fratres, tantũ ne libertatem
Matt. 3. in occaſionem detis carnis, ſed per
& 16. Charitatem Spiritus ſeruite inuicẽ.
Galat. 5. Ad quam Spiritus Charitatem ſan-
ctę ſeruitutis obſequio, & alendam, & conſeruandam cum honeſta cun cta proſunt, tum ingens pondus adferunt pie obſeruatæ Eccleſię Traditiones.

Baſilius de Spiritu ſancto. cap. 27. Pro. 22. Poſtremus eſt, vt verum inter legitimos, & nothos Eccleſię filios, ſeu inter Catholicos & Hęreticos diſcrimen inde accipiamus. Illi enim ſimpliciter in doctrina Eccleſię ſiue ſcripto tradita, vt quę in biblicis literis extat, ſiue Patrũ Traditione comprobata, acquieſcunt: ſequuntur enim Verbum Dei, Ne

Origen.

tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. Hi vero, qui ſunt Hęretici, ab hac ſimplicitate Fidei, & a venerandę matris Eccleſię, ſanctorumque Patrum probata ſententia diſcedunt, nimiumque ſibi, vel deſertoribus Eccleſię fidunt, adeoq; ne moniti quidem reſipiſcunt. Quare Paulus de ijs ſerio ſanxit, dum ait: Hęreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt. Atque, vt cum Cypriano concludamus, quiſquis ab Eccleſiæ vnitate diſceſſerit, cum Hęreticis neceſſe eſt, inueniatur.

in cap. 3. Epiſt. ad Titum.

Ad Titum 3.

Ad Pompei.

Quæ demum eſt ſumma omnium ſuperiorum?

QVæ a principio quidem huc vſque tractata ſunt de ſumma Chriſtianæ doctrinæ, eo nimirum ſpectant, vt vera Chriſtiani Sapiẽtia

Auguſt. lia. 2. Retractat.

1. Cor. 13.

2. Tim.2. conſtituantur : quæ tribus illis vir-
Heb.11. tutibus Fide, Spe, & Charitate cõ-
Galat. 5. prehenditur. Et Fide quidem veri-
Rom. 8. tati Dei firmiter aſſentitur, eiq́ue in
Ioan. 14. nititur anima : Spe autem propius
Rom. 13. adhuc apprehendit bonitatem Dei, Fide iam cognitam, atque conceptam : Charitate demum Deo, proximoq́ue propter Deum coniungitur, & vnitur. De Fide nos docet Symbolum Apoſtolicum, dum ea proponit, quæ maxime ſunt credenda, & profitenda Chriſtiano.
Auguſt. De ijs vero, quæ ſperanda & deſide-
in Enchi- rãda ſunt, precatio nos inſtituit Do-
ridio. minica. ad Charitatem demum ſpectant, quæ duabus tabulis Decalogus exhibet. Præclare igitur
In cap. 4. Origenes Puto, inquit, quod prima
Epiſt.ad ſalutis initia, & ipſa fundamenta Fi
Roman. des eſt : profectus vero, & augmen-
Luc. 11. ta ædificii Spes : perfectio autem,
Rom. 2. & culmen totius operis Charitas.
Luc.6. Illi demum beati, qui audiunt, &

cuſtodiunt verbum Dei, quique voluntatem Patris cognoſcunt, & faciunt, in Fide, Spe & Charitate perſeuerante. Et hactenus, pro instituti quidem noſtri ratione, ſatis de Sapientia Chriſtiana.

Matt. 7. 19. 25. Ioan. 15. Matt. 10. & 24.

An ne aliud quidquam ad hanc doctrinæ Chriſtianę partem ſpectat?

ETiam. huc enim plane ſpectat doctrina de Sacramentis, vt norint Chriſtiani, quibus veluti inſtrumentis Diuinitus inſtitutis habeant opus ad Fidem, Spem, & pręcipue Charitatem accipiendam, exercendam, augendam, aut etiam reparandam. Adde, quòd non Sapientia modò, ſed etiam Iuſtitia Chriſtiana neque conſtitui, neque retineri abſque Sacramentis poteſt: vt ſine quibus Religionem vniuerſam extingui prorſus ne-

Auguſt. in Ioan. Tractatu. 120.

Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum.

ceſſe ſit. Habent igitur ea ſublimem in doctrina Chriſtiana locum, & neceſſariam quoque tractationem.

CAPVT QVARTVM DE SACRAMENTIS.

Cur de Sacramentis docendi ſunt Chriſtiani?

Ad Titum 3. Ioan. 3. 6. & 20.

QVia Sacramentorum cognitio, & vſus facit, vt illi accepta ex IESV Chriſti meritis gratia, quæ per Sacramenta ipſa confertur, legitime exerceantur, & conſeruentur, atque promoueantur in Diuino cultu.

Quid, & quotuplex eſt Cultus Diuinus?

CVltus Diuinus dicitur, quem Chriſtianus tanquam præcipuum, ac ſummum obſequium debet Creatori, ac Saluatori ſuo Deo Opt.Max. Hominem enim ea potiſſimum cauſa, vt Deum pure, integreque colat, & initio conditum, & poſtea redemptum, atque ad id omnino deſtinatum eſſe docet Chriſtiana religio. Eſt autem diuinus cultus duplex, Interior, & Exterior. Interior, quo per intellectum, & affectum Deo coniungimur, Fide, Spe, & Charitate, vt antea dictũ eſt, perficitur. Exterior eſt profeſſio quædam cultus Interioris, quem externis quibuſdam, & viſibilibus ſignis, ritibuſque declaramus. Deus enim, qui bonorum noſtrorum non eget alioquin beatus per ſe, totuſq;

August. lib. 10. de Ciuitate Dei. Prou. 16. Geneſ. 1. 2. Cor. 5. 1. Teſ. 5. Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana, & in Enchiridio. Mat. 5. Rom. 12. 1. Cor. 14. Pſal. 15. 1. Tim. 6.

Matt. 5. perfectus, tamen ſicut totum ip-
Gen.2. ſe hominem tum corpore, tum ani
Pro. 16. ma conſtare voluit, ſic eundem
Luc. 10. quoque totum, hoc eſt, ſecundum
Matt. 22. omnem ſui partem exigit, a quo
1. Co. 16. ſyncere ſtudioſeque colatur: ani-
Pſal. 83. ma quidem ſecundum interiorem, vti docuimus: corpore vero ſecundum exteriorem cultum cum interiore coniunctum, quod pręcipue, & ſaluberrime fit in vſu Sacramentorum.

Quid eſt Sacramentum?

August. lib. 3. de Doctrin. Chriſt. Ambro. lib. 4. de Sacra. Concil. Floren.

EST Diuinę, & inuiſibilis gratię externum, & viſibile ſignum a Chriſto inſtitutum, vt per id quiſque Dei gratiam accipiat, atque ſanctificationem. Quare non quęuis ſigna ſunt, quę Eccleſię Sacramenta dicuntur: ſed certa, ſacroſancta, & efficacia ſigna, Chriſtianis ex Diuina inſtitutione & promiſ-

ſione commendata. Signa quidem idcirco, quoniam externa quadam ſpecie, & ſimilitudine id nobis referunt, & declarant, quod per ipſa Deus nobiſcum inuiſibiliter atque ſpiritualiter agit. Certa vero, ſacroſancta ſimul, & efficacia ſigna, quoniam indubie quam gratiam ſignificant, etiam continent, conferuntque ad noſtram ſanctificationem. Sacramenta enim quantum in ſe eſt, vt Cyprianus loquitur, ſine propria virtute eſſe non poſſunt, nec vllo modo Diuina ſe abſentat Maieſtas myſteriis quamuis etiam ab indignis adminiſtrentur.

& Lateranen. Auguſt. in pſal. 37. & lib. 13. cõtra Fauſtum. Serm. de Cœna Domini Auguſt. Cõtra Donatiſtas.

Vt exempli cauſa, in ſacramento Baptiſmi exterior ablutio, quæ ſordes corporis purgat, efficax eſt ſymbolum interioris ablutionis, vtpote teſtimonium prębens indubitatum quod ſpiritualiter anima purificetur. Sic res aliç viſibiles & externç, vt oleum, panis viniq́ue ſpecies,

Tit. 3. Rom. 6. 1. Cor. 6.

quarum in Sacramentis neceſſarius eſt vſus, apte nobis conſtituuntur, tum ad ſignificandum, tum ad conferendum homini Diuinam gratiam, animęque ſalutem (modo ad hęc non indigne accedat) Per Baptiſmum etenim regeneramur, & renouamur: per Confirmationem augemur, & roboramur: per Eucharistiam nutrimur, & reficimur: per Pœnitentiam reſtituimur, & ſanamur in vita ſpirituali: in qua per reliqua itidem Sacramenta, pro ſua cuiuſque ratione iuuamur, atq; prouehimur, vt ſuo deinde loco aperimus.

Augu. in Pſal. 73.
Ioan. 3.
Tit. 3.
Acto. 8.
Ioan. 6.
Ioan. 20.

Quibus partibus conſtat vnumquodque ſacramentum?

Concilij Florenti.

VErbo, & elemento. Per Verbũ hic intellige certa quædam, & determinata verba, in quibus ipſa conſiſtit, forma, quam vocant, Sa-

cramentorum. Per Elementum accipere es externas, quæ vera materia ſunt Sacramentorum, vt aqua, oleum, panis, vinum & eiuſmodi. Iam his partibus perfecte ſumptis adiunguntur reliqua, quæ ad cuiuſque Sacramenti tum idoneam collationẽ, tum dignam ſuſceptionem ſpectant, videlicet inſtitutio diuina, miniſter idoneus, intentio recta in miniſtro, Fides in ſuſcipiente, & ſi, quę ſunt, huius generis alia. De his ſingillatim poſtea. Cobcil. 1. Florentin. & conſtantien.

Quot ſunt ſacramenta?

Cuntic. 4. 1. Tim. 3.

SEptem, quę a Chriſto per Apoſtolos accepta conſeruauit, ac fideliter diſpenſauit hucuſque Chriſti ſponſa, & columna veritatis Eccleſia. Sunt autem hæc: Baptiſmus, a Confirmatio b, Euchareſtia c, Pœnitentia d, Extrema vnctio e, Ordo f, & Matrimonium g. Nec refert ſane, ſi eiuſmodi

a Matt. 18
b Act. 8.
c Mat. 26.
d Ioan. 20
e Iaco. 5.
f 2. Tim. 4
g Eph. 5.
Auguſt.

contra Donatiſtas, & ad Ianuariũ.

vocabula in Scripturis non extent omnia, modo de re ipſa conſtet,ac Sacramentorum veritas, & virtus Diuinis teſtimoniis approbetur: Quanquam ea,quæ vniuerſalis Eccleſia ex Apoſtolorum traditione retinet, atque conſeruanda cõmendat, etiam ſine Scriptura, plenam apud nos fidem,vt antea docuimus habere meretur. Ac de ſingulorum quidem Sacramentorum inſtitutione poſtea ſuo loco.

Lib. 19. contra Fauſtum. Lib. 4. quæſtio. ſuper Leuiticum.

Vis autem eorum,vt fideliſſimus Scripturæ interpres Auguſtinus inquit,inenarrabiliter valet plurimũ: & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas. Atque, vt idem alibi docet,

Contemptor viſibilis Sa
cramenti, inuiſibi-
liter ſanctifica
ri nullo
modo poteſt.

Quare inſtituta ſunt Sacramenta?

PRimum, vt ſint præſentiſſima remedia contra peccatum, qđ lethalis eſt animę morbus, aut peſtilens. Quamobrem longè præſtant legis antiquæ Sacramentis, virtute vtique maiora, vtilitate meliora, numero pauciora, intellectu auguſtiora, obſeruatione faciliora, ſignificatione præſtantiora, quæ præterquā quòd ſignificant, etiam ſanctificant, ac ſalutem dant: vt e Scripturis Auguſtinus optime deprehendit.

Sapient. 16. Augug. lib. 19. contra Fauſtum Et lib. 3. de doct. Chriſtia.

Secundo, vt habeamus certa, efficaciaque ſigna Diuinæ erga nos gratię, & voluntatis, quæ dum in ſenſus externos incurrunt, non ſolum excitant fidem in Chriſtum, Deique miſericordiam, & bonitatem; verum etiam viuifica ſunt inſtrumenta, per quæ viſum eſt Deo, ſalu-

Rom. 3.

Tit. 3. Ioan. 6. & 20. Augu. lib. 4. contra Donatiſtas. Idem lib. 19. contra Fauſtum. Et cap. 17 de vera Religione

fica ſunt inſtrumenta, per quæ viſum eſt Deo, ſalutem noſtram efficaciter operari. Vt præclare dictum ſit iam olim, per ſe ipſum quoque Sacramentum multum valere.

Tertio, vt extent velut ſymbola, & externæ notæ Chriſtianæ profeſſionis, quibus Dei, & Eccleſiæ filij ſe mutuo agnoſcant: tum in vnione, humilitate, & obedientia ſe fructuo ſe exerceant, & contineant, atque ita vnius religionis neceſſarijs quaſi nexibus, & fœderibus inter ſe inuicem maneant colligati. Alioquin ſine Sacramentis nec conſtare, neque diſcerni ſatis poſſet vlla Religio.

Quid vero ſentiendum eſt de Sacramentorum miniſtris?

1. Cor. 4. Eſa. 51. Num. 1.

ITa plane ſentiendum eſt de illis, tanquam miniſtris Eccleſiæ, & diſpenſatoribus myſterio-

rum Dei, qui portant vaſa Domi-ni, Tabernaculoque deſeruiunt, & ſacris ex profeſſo pręſunt. Non enim omnibus indifferenter, ſed Sa-cerdotibus, & Epiſcopis incumbit Sacramenta conficere, diſpenſare vel adminiſtrare. 2. Reg. 8. Concil. Nicenum cap. 14.

De his miniſtris porro Regulam pręſcribit Auguſtinus, cum inquit: Nõ ideo veriora, & ſanctiora ſunt Sacramenta, quia per meliores mi-niſtrantur: illa nanque per ſe ipſa vera, & ſancta ſunt, propter verũ, & ſanctum Deum, cuius ſunt. Et rurſus: Memento, Sacramentis Dei obeſſe nihil mores malorum hominum, quo illa vel omnino non ſint, vel minus ſancta ſint. Suf-fragatur his Ambroſij illa ſenten-tia: Non merita perſonarum con-ſideres, ſed officia Sacerdotũ. puta in adminiſtratione ſacramentorũ. Nã & per indignos conſueuit Deus operari, & nihil propter Sacerdo- Contra Creſconium li. 4 Contra literas Petiliani lib. 7. De Miſt. initian. Home. 8. in 1. Co. 3

tis vitam ſacramenti gratia lęditur, Chryſoſtomo teſte.

Quid iudicandum de Cęremonijs, pręcipue quarum ſolennis eſt vſus in Sacramentis?

Matth. 5. Rom. 12. Eſaia. 1. Matt. 12. CAEremonię ab Eccleſia probatę ritus quidam ſunt externi, religioſe, ac decenter inſtituti: Primum, vt ſigna, teſtimonia, & exercitia ſint cultus interioris; quē Deus in primis requirit: deinde, vt Rom. 1. viua extent religionis incitamenta, quibus fragilitas humana, ceu adminiculis, fulciatur; & ad ſacra myſteria tum capeſſenda, tum retinenda veluti manu ducatur: Poſtremo Leo ep. 82 Innocē. ad Eugubinū 1. Cor. 14. Philp. 4. Hierem. 6. Prouer. 22 vt quę ad cultúm diuinum promouendum, & ad diſciplinam, concordiamq; conſeruandam publicam pertinent, honeſte, ac decenti quodam ordine, ſicuti Apoſtolus iubet, in Eccleſia peragantur.

Eæ vero, quarum eſt vſus in Sacramentorum adminiſtratione, quaſque veluti per manus traditas, & commendatas nobis a Patribus accepimus, ingenti pręcipue ſtudio retineri, & obſeruari debent. Nam pręterquam quòd decorem illæ Sacramentis afferunt, & reuerentiam quandam cõciliant, ſingulari quoq; antiquitatis commendatione nobis ſunt venerandę. Habent præterea inſtitutionem non ſolum vetuſtiſſimam, & Apoſtolicam, verum etiam myſteriorum grauitate, atq; dignitatę plenam; vt ſanctiſſimi, doctiſſimiq; Patres annotarunt De his demum alijſq; id genus, pręclare ita Damaſcenus: Quę Chriſtiana religio erroris neſcia ſuſcipit, & in tot ſęcula ſeruat inconcuſſa, minime vana ſunt, ſed vtilia, Deo placita, ſalutiq; noſtrę coducibilia plurimum.

Hieron. 6. Proue. 22. Baſil. de ſpiritu ſancto. Tercull. de corona militis Auguſt. contra Donatiſtas. Serm. de ſuffr. pro defunctis Auguſt. lib. 2. de Baptiſ. cap. 7.

Iam de Cæremonijs, quę Sacra-

mentis omnibus adhibentur, ſigillatim admonere, vt longum eſt; ita difficile, & huic quidem inſtituto haud neceſſarium videtur. Quin & aperte fatetur Origenes, in Eccleſiaſticis huiuſmodi obſeruationibus eſſe nonnulla, quæ omnibus quidem facere neceſſe ſit, rationem autem, cur ita fiant, nondum ſatis eſſe compertam.

Homel. in Numeros Et Baſil. de Spiritu ſancto.

DE BAPTISMI

Sacramento.

Quid eſt Baptiſmus?

Act. 1. Mar. 16. Ioan. 3. Tim. 3. Matt. 28. Concil. Lateranen. Vie-

EST nouę legis primum, & maxime neceſſarium Sacramentum, in ablutione corporis exteriore, & legitima

verborum enunciatione iuxta Chriſti inſtitutionem conſiſtens. Nec ſolum adultis, ſed etiam paruulis neceſſarium eſt, & efficax ad ſalutem æternam conſequendam. Sic enim generatim legislator edixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, nõ poteſt introire in Regnum Dei. Alibi vero: Non eſt voluntas ante Patrem, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Peribunt autem non baptizati etiam paruuli, ſicut olim in Synagoga incircunciſi. Iam cum ſit vnum Baptiſma Chriſti fidelium, hoc ſemel acceptum nefarium eſt prorſus iterare.

nen. & Miſcuita. Dionyſ. de cœleſt. hierar. Ioan. 3. Matt. 18. Auguſt. de nupt. & concupiſcent. lib. 1. Auguſt. Epi. 28. Epheſ. 4. Concili. Nicenum Heb. 6.

Quæ circa hoc Sacramentum præcipue ſunt notanda?

Elementum, ablutio, eiuſque ſignificatio, verbum, & effectus Baptiſmi. Elementum eſt aqua

Ioan. 3. Epheſ. 5.

ſimplex, materia ad hoc neceſſaria, quæ natura ſua ſordes omnes ablue re ſolet. Cui reſpondet ſignificatio, quæ per aquam nobis oſtendit, Baptiſmi proprium eſſe, animam emundare a peccatis, & hominem, vti dicemus, iuſtum reddere. Verbū quo Sacramenti forma conſiſtit, ex Chriſti præcepto ſic habet: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Tit. 3. 1. Cor. 6. Concil. Lateran. & Florentin.

Quem fructum, & effectum præſtat Baptiſmus?

EVm plane, quem docente Chriſto, ac teſtibus Apoſtolis Petro & Paulo diſcimus, nimirum per Baptiſmum, & peccata remitti, & Spiritum dari, quo & vetus homo aboleatur, & noua fiat in Chriſto creatura. Quippe ſuſceptus rite Baptiſmus non hoc modo largitur, vt plene peccata omnia condonen

1. Cor. 6. Rom. 6. Baſili. in exortatione ad baptiſmum Augu. ad Bonifaciū contra Pe

tur, atque tollantur; ſed etiam vt Baptizatus plane innouetur, ac vere innocens, iuſtus, ſanctus, cœleſti gloria dignus in Chriſto efficiatur. Vt iure a Paulo dictum ſit omnibus baptizatis: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Quẽadmodũ & alibi teſtatur idẽ Apoſtolus, Baptiſmũ eſſe Lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti: Lauacrum etiã aquæ in verbo vitæ. Qui & alio loco ſic inquit: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Scite etiã Bernardus ac breuiter ſacramenti huius effectu præcipuos complectitur: Lauamur in Baptiſmo inquit, quia deletur Chirographum damnationis noſtræ, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen a conſenſu abſtineamus.

Pelagia 2. 1. epiſt. Damaſc. in 4. Tit. 3. Ephe. 5. 1. Cor. 6. Rom. 6. Actor. 2. 1. Pet. 3. Galat. Serm. in Cœna Domini.

Quid a nobis requirit acceptum tanti ſacramenti beneficium ?

PRimum a nobis ſummam poſtulat, & aſſiduam animi gratulationem; vt prędicemus, amemus, & celebremus eum, qui ſecundum ſuam miſericordiã ſaluos nos fecit per lauacrum hoc regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum dominum noſtrũ, vt iuſtificati gratia ipſius hęredes ſimus ſecundum ſpem vitæ ęternæ.

Deinde ſic huius ſacramenti myſterium rememorandum eſt, vt identidem ſe ipſum quiſque admoneat pręclaræ illius ſuæ ſponſionis, & chriſtianæ profeſſionis, quam in ſacro lauacro per ſponſores edidit. Cogitet igitur Chriſtianus, illic ſe ex iræ filio, & ſatanæ ſeruo, Dei filiũ, Chriſtique membrum, & cohære-

Auguſt. de rectitudine cathol. conuerſionis.

dem', viuumque templum Spiritus ſancti factum eſſe.

Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, inquit Ambroſius, repete quid interrogatus ſis; recognoſce quid reſponderis. renunciaſti diabolo, & operibus eius; mundo, & luxuriæ eius, ac voluptatibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuę ſeries cautionis. Et pręclara Pauli ad baptizatos omnes adhortātis vox eſt: An ignoratis Fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus in illo per baptiſmum in mortem: vt, quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Ambr. de initian. myſt.
Rom. 8.
Galat. 4.
Ambr. de initiandis myſt.
Idem l. 1. de ſaramētis.
Rom. 6.
Galat. 5.

DE CONFIRMATIO- nis Sacramento.

Quod eſt alterum a Baptiſmo Sacramentum?

Lib. 2. contra literas Petilian. Concil. Aureli. Melden. Florent.

COnfirmatio, quę ſacramentum eſt nouæ legis, æquè ſacroſanctum, vt Auguſtinus inquit, ac ipſe Baptiſmus: quod baptizatis cōfertur impoſitione manuū epiſcopaliū, & ſacri chriſmatis inunctione.

Vnde nobis comprobatur hoc Sacramentum?

Cypria. epiſt. 12.

TEſtimonium habet a diuina ſcriptura ſecundum Patrum,

& Eccleſiæ concordem ſententiam, atque interpretationem. Huc enim ſpectat, quod Lucas Euangeliſta ſemel, atque iterum ſcribit de Apoſtolis, qui ſuper baptizatos manus impoſuerunt: hoc ſigno vtentes viſibili Diuinituſque inſtituto, per quod Chriſto iam initiatis noua, & amplior Spiritus ſancti gratia conferretur. Quare cum Apoſtoli manus illis impoſuiſſent, acceperũt, vt Lucas de iiſdem baptizatis refert, Spiritum ſanctum, cum acceſſione ſcilicet, ac exuberantia quadam gratiæ ſpiritualis. Nunc vero, vbi Apoſtolorum vicem Epiſcopi gerunt, & locum tenent, nõ fraudat Deus Eccleſiam ſuam hac tam ſalutari gratia; ſed per eoſdem Epiſcopos in hoc Sacramento efficaciter operatur, vt adſit, Cypriano teſte, & veritas ſigno, & Spiritus Sacramento. Atque huc pertinet vetus Eccleſiæ Canon: Omnes fideles

lib. 1. Auguſt. lib. 5 contra Donatiſt. Actor. 8. & 19.

Ibidem.

Hiero. cõtra Luciferianos. Sermo. de vnctione Chriſmatis.

Vrban.

Pont. & marty. ante annos 1300 ſub Alex. Seuero.

per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur, quia, cum Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & cōſtantiam dilatatur.

Quæ neceſſaria ſunt ad conficiendum hoc Sacramentum?

Cypr. de ablutione pedum. Baſil. de Spiritu ſáncto. Fabianus ante annos 1290

Acto. 8. Cócil. Florent.

TRia pręcipue ad hoc requiruntur: Sacramenti propria materia, certa verborum forma, & miniſter idoneus. Materia ex oleo, & balſamo miſta eſt, quæ ab Epiſcopo conſecrata ſacri Chriſmatis nomen iam olim obtinuit, & in hoc Sacramento fronti ſolenni ritu illinitur. Forma verborum hæc prę ſcripta eſt. Conſigno te ſigno Crucis, & cōfirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Miniſter Sacramēti huius

ſolus eſt Epiſcopus, vt Apoſtolorũ exemplum, forma, & traditio retineantur. Qua de re iam olim ita ſancitũ accepimus: Manus impoſitionis Sacramẽtũ magna veneratione tenendũ eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi a ſummis Sacerdotibus: nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, & ſcitur eſſe peractum.

Vormatien. Euſeb. Pont. & Mar. ſub. Dioclet. Acto. 8. & 19.

Cur autem baptizati ſacro Chriſmate inunguntur?

QVia per Spiritum ſanctum Apoſtoli ita nobis tradiderunt ſicuti Clemens a, & Dionyſius b, Petri, Paulique Apoſtolorum diſcipuli probant. Tradiderunt autem illi quod a Domino ipſo vtique acceperant, de Chriſmate conficiendo, vt grauis eſt teſtis Fabianus, idem & Chriſti Martyr, & Pontifex Eccleſiæ. Sacroſanctæ

Baſil. de Spiritu ſancto. a Epi. 2. b De Eccleſi. hierar. In Epiſt. ad orien. Epiſcop.

etiam Synodi præceptum de hoc tale extat: Oportet baptizatos poſt Baptiſmum ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cœleſtis Regni participes fieri. Rationem Cyprianus reddit hanc, vt accepto Chriſmate, id eſt, vnctione Chriſtianus eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit, teneatque ſanctitatem. Atqui vnguentum hoc viſibile, quo Eccleſia baptizatos vngit, vt Auguſtinus docet, ſignificat inuiſibilis gratię donum, quo Spiritus ſanctus Chriſtum in primis, qui & a Chriſmate nomen ſuum trahit, ac deinde Chriſtianos omnes interna vnctione imbuit, atque confirmat. Vnde pulchre Tertullianus, velut ad olei naturam alludens, ita de hoc Sacramento ſcripſit: Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manuũ impoſitione adũbratur, vt anima Spiritu illuminetur.

Synod. Laodicés lib. 1. Epiſt. 12. Et de vnctione. Chriſmatis.

Lib. 15. de Trinitate. Et in ſententijs Proſperi. Lib. de carnis reſurrectione.

Quis Sacramenti huius eſt vſus, & fructus?

IN Baptiſmo regeneramur ad vitam. poſt Baptiſmum autem in hoc Sacramento confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, hoc vero poſt Baptiſmum roboramur, vt regeneratis cuſtos & conſolator, & tutor adſit Spiritus ſanctus. Hæc ſummi & Pontificis, & Martyris Melchiadis eſt doctrina, nec diſſentit ab eo, quod Clemens teſtatur, ſe ab Apoſtolis ipſis accepiſſe. Cum regeneratus, inquiens, quis fuerit per aquam, poſtmodú ſeptiformis Spiritus gratiæ ab Epiſcopo confirmetur, quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe nequaquã poterit.

Ioan. 3. Melchiades ad Hiſpaniæ Epiſcop.

Epiſt. 4. Vixit Apoſtolorum tempore.

Prodeſt igitur hoc Sacramentum mirifice, vt qui fidei myſteriis initiati ſunt, ſicut geniti modo infan-

Dionyſ. de eccle. hierar.

1. Pet. 2. tes, & adhuc imbecilles, in Chri-
ſto adoleſcant, atque corroboren-
tur. Hos ceu Chriſtianæ militiæ
tyrones Epiſcopus admonet in vn
Pſalm. 50 ctione, vt aduerſus tot hoſtes, &
quotidiana pericula Spiritu princi-
pali confirmentur: conſignat illis
Auguſti. in Pſ. 30. cruce frontem, quæ pudoris eſt
Mat. 10. ſedes, vt conſtanter, & intrepide
1. Pet. 2. nomen Domini confiteantur,
Luc. 21. impingit & alapam, vt
Chriſtianam mili-
tiam inuicta
patientia
exer-
cendam, & ornandam
eſſe ſibi perpetua
memoria re-
tineant.

DE EVCHARISTIAE. *Sacramento.*

Quid ſignificat nomen Euchariſtię?

SVmmum illud, & longe ſacratiſſimum Sacramentum, quo nihil habet Eccleſia dignius admirabilius, efficacius, atq; ſalubrius. Et recte quidem Euchariſtia, tanquam bona gratia ſeu gratiarum actio dicta eſt, quia præcipuum & maximum Dei donum, ipſumq; omnis gratiæ fontē, & auctorem continet; ſummorūq; nos bonorum admonet, pro quibus acceptis, gratiarum actionem,

Vide Algerum de hoc Sacramento ſcribentē. Origen. contra Celſum. Et Aug. contra aduerſa. Legis & Prophe.

Libro 1. 1. Tim. 3. Ioan. 6. Cirill.lib. 10. in Ioan. Et Hilar.de Trinita. lib. 8.

laudem, & gloriam ſummam Deo ſummo debemus. Maius enim beneficium optare non potuiſſemus quàm quod Chriſtus Ieſus Dominus noſter de virgine natus, cruci affixus,& in gloriam aſſumptus, ſe nobis totum ita largiatur, vt etiam nunc corpus, ſanguinemque ſuum vere ſumamus,illique per hoc Diuinum ſacramentum prorſus incorporemur.

Quæ in hoc Sacramento præcipue continentur?

Matt. 26. Luc. 22. Ambroſ. Lib. 4. de Sacramentis. Damaſc. in 4. Matt. 26.

TRia continet Euchariſtia, ſpecies viſibiles, veritatem corporis,& ſanguinis Dominici, & ſpiritualis gratiæ virtutem. Quod enim oculis noſtris apparet, ſpecies ſunt viſibiles, panis videlicet, & vini. Quod autem ſub ſpeciebus iiſdem Fides noſtra, nõ ratio, comprehendit, id verum Corpus, & Sanguis eſt Chriſti

Chriſti Saluatoris. Cæterum quod participatione Sacramenti huius conſequimur, eximia quędam eſt Spiritus ſancti gratia, fructus nimirum & effectus, vt oſtendemus, ſalutaris Euchariſtiæ. Augu. Tractatu in Ioan. 26.

Quę ſunt præcipua de hoc Sacramento capita ſcitu neceſſaria?

EA quinque potiſſimum ſeſe offerunt: primum de veritate Euchariſtiæ: alterum de panis, & vini tranſubſtantiatione: tertium de adoratione eius: quartum de eiuſdem oblatione, & Sacrificio: poſtremū de ſumptione ipſius ſub altera, vel vtraque ſpecie. De his enim præcipue hac quidem tēpeſtate ſcire, magnum eſt operępręcium.

Quid igitur de veritate Euchariſtiæ ſentiendum?

Ioan.6. & ibidem Cyrillus Concili. Epheſinũ. Lateranenſe. Conſtan- Lucę.1. Pſal. 148. Ambroſ. Libro 4. de Sacramentis. Mat.26. Mat.14. Iuſtin. Apol. 1. Iren.li.4.c. 32. & 34.

ID plane, vt cum tota Eccleſia contra omnes Capharnaitas certo credamus, ſub ſpeciebus panis, & vini veram Ieſu Chriſti carnem, ac verum eius ſanguinem in Eucharistía exhiberi, miniſterio quidem Sacerdotis, virtute autem, ac potentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, apud quem impoſſibile non eſt omne verbum. Ipſe dixit, & facta ſunt. ipſe mandauit, & creata ſunt. Dixit autem in cœna illa pridie, quàm pateretur, inſtructa, cum panem primum, ac deinde calicem ſuis manibus apprehendiſſet, cũq; de huius Sacramenti tum inſtitutione, tum veritate certos omnes reddere vellet, dixit, inquã, planiſſime, Hoc eſt Corpus meum. Item, Hic eſt Sanguis meus. De qua inſti-

tutione dixerat & antea: Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Item, Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Nec obſcura ſunt alia tum Euangeliſtarum, tum Apoſtoli Pauli teſtimonia, quæ nobis hanc fidem luce clarius adſtruunt; in Euchariſtia Chriſtum totum, ſecundum Diuinam, humanamque naturam exiſtere, & nobiſcum manere vſque ad ſæculi conſumationem.

Ioan. 6. Vide Hilar. 8. de Trinita.

Mar. 1. Lucæ. 22. 1. Corin. 10. & 11.

Mat. 28.

Quid autem verba efficiunt conſecraria, quibus panis, & vinum a Sacerdote vice Chriſti conſecrantur?

HOc certo efficiunt, vt omnipotenti CHRISTI vir-

Ambroſ. lib. 4. de

Sacramentis. Theoph. in 26. Mat. 8. ſynodus Veroneu. Tercell. Lateranen. & Elorent. a Lib. 48.

tute per verba illa operante, panis quidem in Corpus, vinum autē in Sanguinem Domini ſubito, & ſupernaturaliter tranſmutetur. Hæc vere ſtupenda tranſmutatio nō immerito Tranſubſtantiatio tum a Synodis, tum a Patribus applicata eſt, quod panis, viniqueſubſtantia in Corpus Sanguinemque Chriſti conuertatur, ſiue, vt Iueneus ait, a tranſmutetur, Si enim valuit tātum ſermo Eliæ, vt ignem de cœlo deuocaret, non valebit Chriſti ſermo (ſic enim colligit Ambroſius) vt ſpecies mutet elementorum? Atqui Chriſtí ſermone nihil apertius, dum ait, Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus: ne quis omnino putet, poſt conſecrationem eſſe panem, & vinum in Eucharistia.

Mat. 28. Mar. 14. & ibidem Theophilact.

Eſt ne venerandum nobis, adorandumque hoc Sacramentum?

EST maxime, ſic poſtulante a nobis officio Religionis, vt quẽ adeſſe in Euchariſtia credimus, cultu quoq; debito proſequamur creaturæ Creatorem, ſerui Dominum atque Redemptorem Opt. Max. De quo Scriptura ipſa pronunciat: Adorent eum omnes Angeli eius. Et rurſus: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Laudantur ergo Magi ſimileſq; nonnulli apud Euangeliſtas, quod Chriſto adhuc in carne mortali honores Diuinos exhibuerint, coram eo procidentes, eumque adorantes. Atqui nobis idem nunc eſt Chriſtus in Euchariſtia: non mortalis, ſed immortalis, omni gloria, & virtute prorſus admirabilis. Quam fidem

Auguſt. in Pſ. 98. Matt. 4. Apo. 14. Pſal. 94. Pſal. 71. & 21. Matt. 2. Ioan. 9. Matt. 14. & 28. Luc. vlt. Ambroſ. in oratione ante Miſſam. Pſal. 94. Baſil. in dialogo

de digni. Sacerd. Greg.4. Dialogorum. Iaan.1.

religioſo corporis, animiq; cultu iure teſtamur, dum noſtræ humilitatis, & debitæ gratitudinis officiũ coram tremenda illa, ſemperque reuerenda Dei Maieſtate exhibemus.

Quid porro de Altaris Sacrificio credendum eſt?

1.Cor.10. & 11. Auguſt. ep.120. de Ciuit. Dei lib. 17. & contra Fauſtũ. li. 20. Et ſerm. 32. de verb. Apoſt. Cip. li.2. Epiſt.2. &

ID proculdubio, inſtitutam eſſe Euchariſtiam non in eum vſum tantum, vt a Chriſtianis velut alimentum ſalutare ſumatur: vnde cibus, potus, viuus, ac vitæ panis dicitur; ſed etiam vt tanquam ſummum, & proprium noui Teſtamenti ſacrificium offeratur: vt hinc iam olim nomen acceperit hoſtiæ, ſacrificii, victimę, oblationis, holocauſti. Offertur auté in iugem paſſionis dominicæ memoriam, & gratiarum actionem, atque vt credentibus proſit ad huius, & futuræ vitæ mala depellenda, bonaque impetran-

da: neque ſolum viuis, ſed etiam defunctis proſit in remiſſionem peccatorum, ſicut e ſcriptura Diuina, & traditione Apoſtolica grauiſſimi Patres aſſeuerant.

9. Aug. 31. oratione contra Iudæ. Chryſo. & Ambroſ. in epi. ad Hebr. in Damaſ. in 4. Iſidorus de Diui. officijs.

Hoc eſt demum illud iuge Sacrificium, quod aliquando oblatum iri Daniel teſtatur: ad hoc ſpectat Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, quod etiam Dauid in Chriſto futurum prædicat: hæc oblatio munda, quæ Iudaicæ legis Sacrificijs quamplurimis vnice ſuccedit, apud Gentes in omni loco, id eſt, toto orbe terrarum ad celebrandum Dei, & Redemptoris noſtri nomen offertur, atque ſacrificatur, vt apud Malachiam legimus: Hæc eſt Miſſæ oblatio, Sacrificium, Liturgia, cui teſtimonium omni exceptione maius præbent Canones Apoſtolorum, Sanctæ Synodi, b magnus conſenſus, & vſus perpetuus totius Eccleſiæ Græcæ, &

Dam. 12. Num. 28. Gen. 14. Heb. 7. Pſal. 109. Sic Malachiam interpretentur Irene. Origen. Auguſt. Euſeb.

Miſſæ nomen legis apud Clementem. Ignat. Alexan. 1. a Ban. 3. & 3. b Nicen.

Latinæ, Orientalis, & Occidentalis.

Quod Miſſæ ſacrificium, ſi rem omnem ęque perpendimus, eſt reuera Dominicæ paſſionis, & illius cruenti ſacrificij, quod in cruce pro nobis eſt oblatum, ſancta quędam, & viua repræſentatio, atque ſimul incruenta, & efficax oblatio. Ex qua fit primum vt memoria, fides, & gratitudo noſtra in Redemptorē ipſum viuida excitetur, confirmeturque ſecundum illud, Hoc facite in mei commemorationem. Quorum verborum Eccleſia tam ſedula interpres fuit; vt omnem incruenti huius ſacrificij externum ornatum, veſtes ſacras, vaſa, ritus, actioneſque omnes ita inſtituerit; vt ob oculos circunſtantium nihil aliud, quàm commemoratio illa ſancta obuerſetur.

Damaſ. in 4. Diony. c. 7. eccl.

Hinc fit etiā, vt oblationis Chriſti in cruce factæ, & Redemptionis

fructus nobis, atque credentibus iti dem omnibus tam defunctis, quàm viuis applicetur. Quare Cyprianus hoc Sacramentum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates tum medicamentum, tum holocauſtum eſſe teſtatur. Martialis vero, Apoſtoli Petri diſcipulus, ita ſcribit: Quod Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius a terra abolere, id cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus, ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugiendam. Omittimus interim eiuſdem fidei, ac ſententiæ teſtes Patres alios, vt inſtituta nobis breuitas retineatur.

Ex quibus liquidò conſtat Chriſtum dici, & eſſe nobis ſacrificiũ duplici modo, cruento videlicet, ac incruento. Nam in cruce cruentum ille ſacrificium pro nobis obtulit ſeſe, vt typo Paſchalis agni,

hier. Epiph. contra Acrium

Serm. de Cœna.

Ad Burdegalenſ.

Vide Iocommuſ Hoſmeiſteri.

Concil. Epheſin.

Auguſt. contra Fauſtum lib. 20.

Epheſ. 5.

Heb. 10.

Exo. 12. qui apud Iudæos immolabatur, ve-
Gen. 14. rus ipſe agnus ſine macula, id eſt, fi-
Heb. 7. guræ veritas, reſponderet. In cœna vero, ſicut & in altari, modo, cultuq; incruento, quemadmodum & Cyrillus vocat, idem offerri voluit; vt oblatio Melchiſedech, quæ ſub ſpecie panis, viniǫue celebrabatur, conſumationem ſuam acciperet, maneretque verus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, eiuſq; ſacerdotium eſſet æternum, nul-
Heb. 9. lo vnquam alio ſuccedente. Illic
Ambroſ. ſemel, & vno duntaxat in loco Iu-
in eādem deæ, peregit Sacrificium de quo Pau
c. 9. & 10. lus Hebræis diſſerit: hic vero ſæpi-
ad Hebr. us, & omni in loco, ſeu per omnem
Malac. 1. paſſim Eccleſiam ſacrificatur, vt
Heb. 10. Malachias Propheta confirmat: Illic
& ibidem in mortem offertur, hic in mortis
Chriſoſt. illius iugem recordationem, & ſa-
Photius. lutiferam eius, quæ inde velut a ca-
Occumē. pite ad membra dimanat, participationem.

Eſt ne ſub altera tantum, panis ſcilicet, an vero ſub vtraque panis, ac vini ſpecie, ſumenda Euchariſtia?

DE Sacerdotibus quidem, ſeu ſacrificantibus conſtat, ambas Sacramenti ſpecies illis eſſe ſumendas, ſine quibus neque rite cōſecrare, neque offerre poſſent vnquam Euchariſtiam. Cuius rei cauſam ex Sacrificio ipſo pendentem reddere hic iam neceſſe non eſt. De aliis vero fidelibus nō ſacrificantibus illud fatendum eſt, nunc vnā tantū, nunc vtranque ſpeciem aliquando eis diſpenſatam fuiſſe in Eccleſia: ſicut & ſcriptura, vbi de hoc Sacramento diſſerit, modo panis, & calicis, modo panis ſolius meminit. Neque vero Chriſti nobis hic exemplum deeſt, qui in Emmaus cum duobus diſcipulis agens, ſub vna

Gelaſius de conſe. diſt. 2. c. Comperimus & 6. Relatum. Hinc toties in Concil. fit mētio de cōmunione laica ſeu peregri.

Ioan. 6. 1. Co. 10. & 11. Actor. 1. & 10.

Luc. 24. & ibidem Theoph. Beda. Chriſoſt. in Math. & Aug. lib. 3. de conſenſu Euang. Euſe. lib. 6. Ecc. hiſto. & Cypri. ſer. 5. de lapſis.

ſolum ſpecie porrexit illis Euchariſtiam, ac poſtea ſtatim illinc ſeſe ſubduxit, ſicut Euangelicum hūc locum Patres interpretantur. Proinde damnandi non ſunt ſiue qui nunc vnica contenti ſpecie, ab vſu calicis abſtinent, & multis ab hinc ſęculis prius abſtinuiſſe leguntur, ſiue qui olim cum ita probaret Eccleſia, vtranque ſpeciem in vſu publico habuere.

At, magiſter rerum, vſus paulatim docuit, maiore cum populi cōmoditate, ac minore periculo, multiſque de cauſis frugifere fieri poſſe ſi, omiſſo calicis vſu, alterius tantum ſpeciei communio retineretur.

1. Tim. 3. Cyprian. de ſimplicit. prælatorum.

Atque ita faciendum iandiu decreuit Eccleſia, non diſcedens quidem a Sponſi ſui inſtituto præcepto ve (columna enim, & firmamētum veritatis eſt, & myſteriorum Dei fida diſpenſatrix) ſed poteſtatem a Sponſo acceptam in diſpen-

ſandis myſterijs ad ædificationem, communemque fidelium vtilitatem conuertens, prout temporum hominemque conditio poſtulare videtur.

Quod vt rectius etiam intelligatur, Euangelij certe nobis verba declarant, Chriſtum in cœna cum illis egiſſe, quibus poteſtatem fecit non ſumendæ modo, ſed etiam conſecrandæ offerendæque Euchariſtiç imo & ordinandæ, & adminiſtrandæ totius Eccleſiæ. Horum iudicio, prudentiæ, & auctoritati reliquit, cum de aliis pleriſque ad rem Chriſtianam ſpectantibus, tum de modo, ordineque diſpenſandæ fidelibus Euchariſtiæ, ius in poſterũ conſtituendi, atque pro ratione tẽporum rite diſponendi. Id probat etiam ex Paulo Auguſtinus, & multis Apoſtolorum inſtitutis euinci facile poteſt.

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Acto. 20. 1. Pet. 5. Luc. 10. Ephe. 4. 1. Cor. 11. Ad iſiquiſitiones Ianuarij. Mat. 18.

Nec eſt cur Plebeis iniuria irro-

gari vlla putetur, ſi, vt in pleriſq; itidem alijs, hac in parte non ęquãtur ſacerdotibus. Nam in confeſſo eſt, Chriſtum non eſſe diſſectum in partes duas ſecundum duo Sacramenti huius ſigna; ſed tam ſub vna, quàm ſub vtraq; ſpecie, immo ſub vnius etiam hoſtiæ conſecratæ particula Chriſtum totũ exhiberi, atq; ſumi; videlicet ſecundum carnem, animam, ſanguinem, diuinitatem. Vbi autem Chriſtus totus ſumitur, illic deeſſe non poteſt integer quoq; fructus, & gratia tanti Sacramenti. Quapropter nulla hic laici vtilitate fraudantur, ſiue rem ipſam in Sacramento contentam, Chriſtum ſcilicet Deum, & hominem ſpectes; ſiue fructum, & gratiam, quæ Euchariſtiam ſumentibus ad animarum ſalutem donatur, quæras: ſed tantum hi ſub altera accipiunt, quantum quidem ſub vtraq;, ſi liceret ſpecie eſſent percepturi.

Ioan. 20. 1. Tim. 3. & 4. Tit. 1. Cirill. in Epiſtol. ad Caloſyrũ. Et de Cõſ. diſt. 2. cap. qui manducat. &c. Singuli.

Qua de re vel ambigendi, vel diſceptandi amplius nullus iam relictus eſt locus: poſteaquàm Spiritus ſanctus, qui iuxta promiſſionem CHRISTI docet, ac regit Eccleſiam, certam nobis, & explicatam ſententiam edidit, editamque confirmauit Sacroſanctæ Synodi non violanda auctoritate. Eius ſententiæ verba ſi quis requirit, breuiter ſic habent.

Aug. de Ianuar. Ioan. 14. & 16. Luc. 21. Synod. Baſilie. ſeſsione 30. Ioan. 14. 16. & 17. 1. Tim. 4.

Fideles Laici, ſiue Clerici communicantes, & non conficientes non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet, & vini ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum. Sed Eccleſia, quæ regitur Spiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua CHRISTVS manet vſque ad conſummationem, æculi (ſicut ait Diuina ſcriptura, ordinare habet,

Mat. 28. Concili. Conſtan. ſeſſione 13.

quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius Sacramenti,& ſalute fidelium viderit expedire &c.

Ac rurſus in alia Synodo: cum huiuſmodi conſuetudo, communicandi laicum populum ſub vna ſpecie, ab Eccleſia, & ſanctis Patribus rationabiliter introducta & diutiſſime obſeruata ſit, habenda eſt pro Lege, quam non licet reprobare aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare.

Hæc ſacroſanctarum Synodorum doctrina eſt, ac ſanctio non leuiter promulgata, quam Chriſtianus etiam orbis agnoſcit, recipit,ac retinet magno conſenſu populorum, iamque tot ſæculis in vſu habetur,vt eiuſmodi Cõmunionis initium nequeat commonſtrari. Qua re mirum eſt adhuc reperiri, qui priuatæ pietatis ſpecie ducti, aliter ſtatuant, & hac in parte cum nouis

Eccleſiæ

Eccleſiæ contemptoribus aduerſus venerandam totius Eccleſiæ auctoritatem conſpirent. His verendum eſt ſane, ne dum externa Sacramenti ſigna tantopere vrgent, fructum ipſum internum, adeoque Chriſtū totum amittant. Quandoquidem neque Fides, neque Sacramenta vlla proſunt, niſi perſiſtentibus in Eccleſiæ vnitate: cuius quidem vnitatis maximum eſt Symbolum Euchariſtia, nullum idcirco fructum præbens Hæreticis, atque Schiſmaticis, quòd hanc ſcindant vnitatem.

Aug. contra Creſcō. lib. 1.
1. Tim. 3.
Matt. 18.

Augu. lib. 2. cō. literas Petiliani. & lib. 21. de Ciuitate Dei.

Quem fructum exhibet rite ſumpta Euchariſtia?

Plurimum ſane, maximumq́ʒ præbet: Hoc enim ſacrum eſt conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis eius, mens impletur gratia

& futuræ gloriæ nobis pignus datur: vt præclare horum fructuum ſenſu, experientiaque excitata decantat Eccleſia. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mūdo, noſtroſque animos in vita ſpirituali ſuſtentat, atq; cōfirmat. Hæc eſt ſacra illa ſynaxis, ſiue cōmunio, quæ fideles tanquam eiuſdem corporis membra inter ſe iungi, ac ſanctorum, piorumque omnium meritis aſſociari ſignificat, atque præſtat: tum quod auguſtius eſt, eoſdem capiti ſuo Chriſto arctiſſime vnit, vt in eo illi maneant, & ipſe in illis, atque ita vitam æternam conſequantur. Hoc eſt viaticum noſtrę peregrinationis, quod in huius vitæ deſerto, militiaque verſantibus, & hinc ad cœleſtem Hieruſalem contendentibus, veluti Manna patribus datum; affert conſolationem, delectationem, virtutem, & gratiam longe efficaciſſimam. Hoc

Ioan. 6. & ibidem Theophilac. ac Cyrill. Item Orige. in cap. 26. Matt. 1. Co. 10. Hilar. lib. 8. de Trinit. Chryſo. hom. 9 & 10. ad populum Ioan. 6. Auguſt. lib. 2. de viſit. infirmorum. Exo. 16. Deut. 8.

eſt corpus Chriſti (vt egregie docet Bernardus) ægris medicina, peregrinantibus via : quòd debiles confortat, valentes delectat, languores ſanat : per hoc fit homo manſuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Sapi. 16. Ioan. 6.

Quænam ad Euchariſtiam digne ſumendam, eiuſq; fructus conſequendos requiruntur?

EXpedita eſt Apoſtoli reſponſio : Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat : quemadmodum, & Auguſtinus dixit : In Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit : mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. 1. Cor. 11 Serm. de aduentu Domini.

Hæc autem probatio ſui, & vi-

tæ mutatio in quattuor potiſſimũ rebus verſatur, vt adſit fides, pœnitentia, mentis attentio, & Chriſtiani hominis habitus decens. Fides hoc poſtulat, ne de his, quæ diximus, alijſq; ſimilibus ad hoc myſterium pertinentibus, quidquam dubites. Id fiet, ſi ſimpliciter quidem in fide, atque ſententia Eccleſiæ, vt eſt ſane neceſſarium, per omnia acquieſcas. Pœnitentiæ, de qua mox plura dicemus, peccatorum deteſtationem, & explicitam coram Sacerdote cõfeſſionem, impetratamq; abſolutionem exigit. Animus deinde prę ſens accedat neceſſe eſt, qui ſeſe per meditationes, & orationes pias ad hoc tantum ſacramentum conuertat. Demum Chriſtiani decens habitus, & compoſitio poſtulat, ad ſacram Synexim neminem, niſi ieiunum, modeſtum, humilem, ſupplicem, minimeq; ſordidum, accedere oportere. Qui vero ſacram Eu-

1.Tim. 3. Orig.lib.1 periareon. Chryſ.ho. 3.in Mait. & Aug. in Ioan.Euã. tract.26.& in pſal.98. Ambr. in orat. ante Miſſam. Aug.ad Ianuariũ. & ſerm. de Aduentn Domini. 1.Cor.11.

chariſtiam indigne ſumunt, non vitam ſed iudicium ſibi ſumunt; & rei ſunt corporis, & ſanguinis Domini, Apoſtolo teſte.

DE POENITENTIAE *Sacramento.*

Quid eſt Pœnitentiæ Sacramentum?

EST, in quo Sacerdotalis abſolutio a peccatis, quæ deteſtatus, riteq́; confeſſus quis fuerit, impetratur. Quã abſoluendi poteſtatem vt in Eccleſia certam haberemus, diuina promiſſio Sacerdotibus facta hęc fuit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Rurſus vero, Amen di- Ioan. 20.

Matt.18. co vobis, inquit Dominus, quæcun
que ligaueritis ſuper terram, erunt
ligata & in cœlo: & quæcunque ſol
ueritis ſuper terram, erunt ſoluta &
in cœlo. Ex quibus veriſſimum cer
Chryſ. de ſacerdotio lib. 3. nitur, quod Chryſoſtomus palam
affirmat: Noſtris Sacerdotibus nõ
corporis lepram, verum animę
Augu. de verbis Domini. ſordes non dico purgatas proba-
re, ſed purgare prorſus conceſſum
eſt. Et Auguſtinus eadem ratione
concludit, Quid facit Eccleſia, in-
quiens, cui dictum eſt, quæ ſolueri-
tis, ſoluta erunt? niſi quod ait Do-
Ioan. 11. minus ad diſcipulos: Soluite illum,
& ſinite abire.

Cur opus eſt Pœnitentię Sacramento?

Ambr. li. ſte pœnitentia 1. & 2. VT homo poſt Baptiſmum re-
lapſus, & inimicus Dei fa-
ctus, Deo reconcilietur, & remiſſio
ne peccatorum accepta, per hoc Sa

cramentum reſurgat, & reuiuiſcat ad vitam ſpiritualem. Vnde Patres pœnitentiam non temere ſecundã poſt naufragium Tabulam vocant, qua ſcilicet ex vortice mortalis peccati, tanquam e naufragio ſubuehi & in gratiam amicitiamq́ue Dei transferri vnuſquiſque poſſit, quantumlibet multis magniſq́ue criminibus ſit prægrauatus. Tertul. Hiero. ſuper Danielem. Auguſt. de vera & fal. pœnitentia. Ezech. 18. & 33.

Quando hoc Sacramentum rite accipitur, & efficaciter operatur?

CVm is, qui remiſſionem peccatorum implorat, tres illas partes, ſeu actiones adhibet, Contritionem videlicet, Confeſſionem, & Satisfactionem. quę totam hominis ad Deum conuerſionem, & renouationem complectuntur. De quibus ita Chryſoſtomus: Perfecta pœnitẽtia cogit peccatorem omnia liben- Concil. Florent. Auguſt. hom. 50. lib. 50. hom. Hom. 29. ad populum.

ter ferre: in corde eius contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas. Hanc eſſe frugiferam pœnitentiam Chryſoſtomus aſſerit, vt quibus modis Deum offendimus, offendimus autem corde, ore, ac opere, iiſdem reconciliemur Deo, corde quidem per Contritionem, ore per Confeſſionem, ac opere per Satisfactionem.

Pſal. 50. Ad Contritionem pertinet illud, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Confeſſionem his verbis Lucas indicat: Multi

Act. 19. credentium, inquit, veniebant cõfitentes, & annunciantes actus ſuos.

Iacob. 5. & ibidem Beda. Et Iacobus Apoſtolus docet: Confitemini alterutrũ peccata veſtra.

Matt. 3. Luc. 3. Ad ſatisfactionem porrò ſpectant digni pœnitẽtiæ fructus, quos Ioannes Baptiſta poſtulat, inter quos & Eleemoſynæ. De his autem Daniel Propheta: Peccata tua, inquit,

Dani. 4.

Eleemoſynis redime,& iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem, ait Ambroſius.

Ambroſ. ad virg. lapſam.

Quid eſt Contritio?

EST animi dolor,& quæ de peccatis concipitur deteſtatio,cum propoſito vitæ in melius commutandæ coniuncta. Hæc contritio paratur, ſi quis peccatorum ſuorũ fœditatem,magnitudinem,ac multitudinem ſedulo intueatur: ſi de ſumma bonitate offenſa, de Dei gratia, cæteriſq́; donis amiſſis ſollicite cogitet: ſi mortis incertæ ineluctabilem neceſſitatem, futuri iudicij ſeueritatem, ac paratas etiam peccatoribus pœnas ſempiternas expendat, atque pertimeſcat. Huc pertinet illud Ezechiæ: Recogitabo tibi omnes annos meos in amari-

Auguſt. de Spiritu & anima, & de pœn. medicina. Chryſ. in Pſal. 50. Et de cõpunc. cor. li. 2. Baſi. in pſ. 33. Heb. 9. Soph. 1. Mat. 25. Marc. 6. Eſa. 38.

Pſal. 50. Pſal. 118. Apoc. 1. Luc. 12. De hac Chryſ. hom. 42. in Matt. Pſal. 31. Ambro. lib. 1. de pœniten. Augu. lib. 2. de viſit. infirmor. Chryſoſt. in Matt. Acto. 19. 6. Syno.

tudine animę meæ. Et illud Dauidis, Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Idemque alibi; A iudiciis tuis timui. Quin, & manifeſta Dei vox eſt ad peccatorem: Charitatem tuam primam reliquiſti: memor eſto itaque vnde excideris & age pœnitentiam. Sed & Chriſtus in Euangelio, Timete eum, inquit, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Iam vero contritionis hic dolor ita demum ad remiſſionem peccatorum nos præparat, ſi cum fiducia diuinę miſericordię, votoque præſtandi ea, quæ ad ſacramentum hoc ſpectant, coniungatur.

Eſt ne Confeſſio neceſſaria?

Concil. Florent.

EST vtique, non ſolum autem, vt quidam falſo autumant, inte

rior quę coram Deo quotidie facienda eſt Dauidis exemplo, qui ait: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino; verũ etiam exterior illa, quæ apud Sacerdotem de criminibus peragitur omnibus, quæ poſt examinatam ſedulo conſcientiam in mentem homini veniunt. Ita de hominibus Eccleſiæ primitiuæ ſcriptum eſt: Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos. Quã confitendi rationem eſſe neceſſariam non Eccleſiæ modo ſacra iura, & Patrum veneranda ſcripta cõfirmant; ſed etiam Chriſti diuina verba concludunt declarantq; cum ait: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Atqui remittere, vel retinere peccata (cum iudicis hæc ſint officia) nullus recte poteſt Sacerdos, niſi illorum cauſa probe cognita, atque per-

Clemens ad Iaco. Leo in epiſt. 89. & 57. Ioan. 20. & in hunc locum Grego. hom. Et Chryſo. de Sacerdo. lib. 3. Dionyſ. ad Demophilum. Later. & Florent. Hiero. in cap. 16 Matt.

ſpecta ſit. Quę cauſæ cognitio prius fieri non poteſt, quàm is, qui expendendum ſe Sacerdoti, vt Iudici, ac medico ſuo, abſoluendumq; tradidit, ſpontanea confeſſione vulnera ſua ſigillatim detegat, atque ita aperiat, vt ſacerdos quid ligandum ſit, quid ne ſoluendum explicate cognoſcere queat.

Quomodo Patres de Confeſſione ſcribunt?

Clemens ad Iac. Origen. In Pſa. 37 Chryſ. li. 3. de ſacerdotio. In Regula mona-

HI certe non modo confitendi vtilitatem, & vſum, qui ſemper in Eccleſia fuit, ſed ius etiam, atque neceſſitatem nobis magno conſenſu commendant, comprobantq;. Vt etiam a plurimis paucos, & probatiſſimos illos teſtes producamus, ſic habet in primis magnus ille Baſilius: Neceſſarium videtur his, quibus diſpenſatio Myſteriorum Dei commiſſa eſt, confitea

da eſſe peccata. Sic enim, & hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud Sanctos confeſſi eſſe peccata ſua. Tum Cyprianus, Confiteantur, inquit, ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cui uſq;, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt. Accedit his Auguſtini ſententia, qui ait, Sunt, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua cōfiteantur crimina. Nolunt enim aut erubeſcunt ſiue dedignātur ſe oſtendere Sacerdotibus, quos tamen inter leprā, & lepram diſcernere per Legislatorem cōſtituit Dominus. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, vel tabeſceas præ rubore, vel ceruicoſus prę indignatione. Nam

chorum, & Inſti. monaſt.

Serm. 5. de lapſis.

Lib. 2. de uiſit. infirmo. ca. 4. & lib. 1. c. 2. Tum in Pſ. 66. Leui. 14. Luc. 17.

ipſius ſimiliter ſubeundum eſt iudi cium, quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Nec minus eſt euidens, quod Leo ille Magnus ſcriptum reliquit: Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentię medicinam ſpes vitę reparetur ęternę, vt qui Regenerationis donũ violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent: ſic Diuinę bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotũ nequeat obtineri. Mediator.n. Dei, & hominũ Deus, & homo Chriſtus Ieſus, hác prępoſitis Eccleſię tradidit poteſtatem, vt & confitentibus ſatisfactionem pœnitentię darent, & eadem ſalubri ſatisfactione

Epiſt. 91. ad Theodorum. Epiſco.

purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

Quid porro de Satisfactione ſentiendum eſt?

ID videlicet, quod alia Chriſti Redemptoris propria, alia fidelium pœnitentium communis ſit Satisfactio. Illa ſemel in corpore Chriſti crucifixi, dum agnus ille mundi peccata tulit, peracta eſt, vt qui natura ſunt iræ filii Deo reconcilientur. hęc vero, quę ad pœnitentes pertinet, a Chriſti membris in Eccleſia quotidie peragitur, cum pęnitentes poſt Confeſſionem ea, quæ Sacerdos abſoluens iniunxit, perficimus, aut cum vltro quidem dignos pœnitentiæ fructus edimus, quæ vindicatoria ſimul, & emendatoria quædam eſt Satisfactio, & Redemptoris CHRISTI be-

Heb. 9. Epheſ. 5. 1. Ioan. 2. Ioan. 1. Epheſ. 2. 1. Co. 15. 1. Cor. 5. Cypr. lib. 3. epiſt. 8. & 4. Tertul. de pœnitent. Iſai. 56. Ezc. 18.

2. Cor. 7. neficium, atque ſatisfactionem a-
Pſal. 50. deo non obſcurat, vt magis etiam
& ibidem commendet illuſtretque. Illa enim
Chryſoſt. præeunte, ac pręcipue cooperante,
& in c. 3. iudicium facimus, & iuſtitiam, iu-
Matth. xta diuinam ſcripturam, delicta no
ſtra contra nos ipſos vindicantes,
& reſiduas in nobis peccatorum re
liquias diluentes, Deique gratiam
nobis pleniorem conciliantes, atq;
promerentes. Cui rei luculentum
2. Reg. 4. præbent exemplum Dauid, & alii,
Ionę. 3. quos in cilicio, cinere, gemitu, lu-
3. Re. 21. ctu, ieiunijs, aliiſque afflictionibus
Matt. 11. pœnituiſſe conſtat, & hinc Deo gra
Iudith. 4. ti, & approbati fuiſſe leguntur. Huc
Ioelis 2. etiam ſpectant illa: Peccata tua
Dani. 4. eleemoſynis redime. Item, Con-
Ioel. 2. uertimini ad me in toto corde ve-
2. Cor. 7. ſtro, in ieiunio & fletu, & planctu.
Et quod Paulus docet, triſtitiam,
quę ſecundum Deum eſt, operari
vindictam. quodque idem ſcribit,
1. Co. 11. Si nos ipſos diiudicaremus, non

vtique

vtique iudicaremur a Domino. Ea propter non eſt, cur de ſatisfactionis nomine, quod certe Patribus per quam familiare eſt, diſcrepte-mus, cum in ſcripturis res ipſa perſpicue proponatur.

Profer aliquot Patrum de Satisfactione ſententias?

CYprianus ille, ſanctiſs. Martyr, & teſtis grauiſſimus, in hunc modum docet: Deus quantum Patris pietate indulgens eſt, tã-tum iudicis maieſtate metuendus eſt. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor ſit: orare oportet impenſius, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes, ac fletibus inſomnes ducere, tempus lachrymoſis occupare lamentationibus, ſtratos adhærere cineri, in cilicio vo-

Serm. 5. de lapſis. Idem. lib. 1. epi. 3. & lib. 3. epi. 14.

lutari, & ſordibus. Idemque rurſus: Rogandus eſt Deus, & ſatisfactione noſtra placandus, delicta noſtra reputanda, actus noſtri, & animi ſecreta voluenda, conſcientiæ merita ponderanda. Nec multo poſt: Pœnitentiæ iter, quod oſtendit Antiſtes, amplectamur: remedia vitalia, quæ de ſcripturis cœleſtibus ille depromit, aſſumamus, & ex vulneribus etiam occultis, quorum exomologeſin facimus, exponentes apud eum conſcientiæ noſtræ pondus, ſalutarem medicinam exquiramus: nec ceſſemus in agenda pœnitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod nimis eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur.

Serm. 5. de lapſis.

Et Auguſtinus clariſſime dixit: Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de ijs, quæ facta ſint, ſatisfiat Deo per humiltatis gemi-

De pœnit. lib. 2. & Ench. cap. 70.

tum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.

Tum alibi quoque ſic idem habet: Quomodo nullus dies eſt, in quo homo poſſit eſſe ſine peccato, ſic nullo die debet eſſe ſine ſatisfactionis remedio. Et apud Hieronymum legimus in hunc modum: Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina, & ſerica precioſiſſima aſperitate cilicij commutanda.

Hom. 2. in Apoca. in epitaphio Paulæ.

Tum rurſus: Peccator dormiat in ſacco, & præteritas vitæ delitias auſteritate compenſet. Eodem ſpectans Ambroſius, Qui agit pœnitentiam, inquit, non ſolum diluere lachrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendationis factis operire, & tegere ſuperiora facta, vt ei non imputentur. Atque idem alibi: Grandi plagæ alta, & pro-

In Malachi.

Lib. de pœnitent.

Ad virginē lapſam

lixa opus eſt medicina. Grande ſcelus, grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.

Eſt ne Satisfactioni etiam poſt mortem locus?

AD hoc explicandum varia mo-
rientium conditio eſt obſer-
uanda. Horum enim, alij gratiam
Dei, vitæq́; innocentiam ad fidem
vſque conſeruant: ad quos perti-
In oratio- net Mauaſſis dictum: Iuſtis, & ijs,
ne Manaſ- qui non peccauerunt, vt Ahraham,
ſis pęniten Iſaac, & Iacob pœnitentiam nou
tis. eſſe poſitam. Alij peccauerunt qui-
1.Reg.12. dem & ex accepta Dei gratia exci-
Pſal.6. derunt, ſed criminum ſordes dignis
Eſai.38. pœnitentię fructibus expiarunt: vt
Matth 27. Dauid, Ezechias, Petrus, Magdale-
Luc.7. na. Vtrunque hoc genus nulla poſt
In Enchi. mortem eget ſatisfactione, ſed ab
cap.110. ea prorſus eſt liberum. At longe
1.Cor.3. plures ſunt homines medij generis

morientes, nec valde mali, vt Augnſtinus indicat, qui peccatorum ſuorum pœnitentiam in vita perfectam non præſtiterunt: ideoque per ignem ſaluandi, vt quod ſatiſfactioni pro hac vita conuenienti defuit, in altero ſęculo iuſtitiæ diuinæ perſoluatur. Nihil enim coinquinatum intrabit in ſanctam illam ciuitatem.

Huiuſmodi ergo defunctis, vt ad quæſtionem propoſitam reſpondeamus, ſubeunda eſt quædam, & grauis illa profecto poſt mortem ſatisfactio. Quam interim Deus pro ingenti clementia ſua relaxare conſueuit, pietate viuorum intercedente, vt defuncti, ſuorum in Eccleſia fratrum, adeoq; membrorũ adiuti ſuffragijs, a peccatis, horrẽdiſq; peccatorum pęnis teleuentur. Et huc ſpectat, quod ſacræ ſcripturæ tradit auctoritas: Sancta, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis

& ibidem. Origen. Ambro. Hierony. Auguſtin. Gregor. Apo.21. Pſa.14 23 Auguſt.in pſal.37. Idem lib. xx.de ciu. Dei.& Dama.ſerm. de his qui ex hac vita migrar. 2.Macab. 15. Ibidẽ. Cõcil.Carth.4. cap. 79. & 95. Braccar.

Augu. de hęreſib. In Pſa. 37 Orige. in Hiere. & Leuit. In Ench. c. 110. Et de cura pro mor. gerenda ca. 1.4. & 18. Matt. 3.

qui hinc deceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Ita Chryſoſtomus. Hoc eſt demum, quod aduerſus Aerianos Eccleſia fida ſcripturæ interpres vſque docuit, ignem eſſe quendam purgatorium ſeu emendatorium, vt Auguſtinus appellat, eoque pœnas peccatorum, quas hic Pœnitentia non diluit, defunctis in Chriſto fidelibus luendas & expiandas eſſe, niſi prout Auguſtinus loquitur, viuentium ſuorum pietate illi releuentur.

Quæ commendatio ac dignitas eſt Pœnitentię?

Mar. 1. Luc. 15. Matt. 7. Matt. 11. Augu. de pœniten.

HAec eſt Euangelicę prędicationis exordium, Angelorum in cœlis gaudium, via in terris arcta, & anguſta porta, per quam fideles ad vitam contendunt, & violenti rapiunt regnum cœlorum. Hæc

lapſos erigit, ſaucios curat, imbecilles roborat, mortuos viuificat, perditos reſtituit, omniaque demum, quæ peccatum vitiat, Pœnitentia in nobis redintegrat. Hac Hier. 18. Dęmones, & vitiorum peſtes ſu- Ezec. 18. & 33. peramus: hac meritas pœnas auer timus, Dei placamus iram, conci- Ionæ. 3. Mat. 3. liamus gratiam, & gloriam ęter- 2.Cor.7. nam comparamus. Hinc illæ Chri Acto. 11. ſti voces in Euangelio: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Mat. 3. regnum cœlorum. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Mat. 9. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Luc. 13. At is demum veram pœnitentiam agit, vt Cypriani verbis hæc omnia concludamus, qui Dei & Sacerdotis præceptis obediens, & Cyp. ſer. 5. de lapſis. obſequijs ſuis, & operibus iuſtis Dominum promeretur.

Pſal. 50. tudine animę meæ. Et illud Dauidis, Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Idemque alibi; A iudiciis tuis timui. Quin, & manifeſta Dei vox eſt ad peccatorem: Charitatem tuam primam reliquiſti: memor eſto itaque vnde excideris & age pœnitentiam. Sed & Chriſtus in Euangelio, Timete eum, inquit, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Iam vero contritionis hic dolor ita demum ad remiſſionem peccatorum nos præparat, ſi cum fiducia diuinę miſericordię, votoque præſtandi ea, quæ ad ſacramentum hoc ſpectant, coniungatur,

Pſal. 118. Apoc. 1. Luc. 12. De hac Chryſ. hom. 42. in Matt. Pſal. 31. Ambro. lib. 1. de pœniten. Augu. lib. 2. de viſit. infirmor. Chryſoſt. in Matt. Acto. 19. 6. Syno.

Eſt ne Confeſſio neceſſaria?

Concil. Florent.

EST vtique, non ſolum autem, vt quidam falſo autumant, intę

rior quę coram Deo quotidie fa-
cienda eſt Dauidis exemplo, qui
ait: Dixi confitebor aduerſum me
iniuſtitiam meam Domino; verũ
etiam exterior illa, quæ apud Sa-
cerdotem de criminibus peragitur
omnibus, quæ poſt examinatam
ſedulo conſcientiam in mentem
homini veniunt. Ita de homini-
bus Eccleſiæ primitiuæ ſcriptum
eſt: Multi credentium veniebant
confitentes, & annunciantes actus
ſuos. Quã confitendi rationem eſſe
neceſſariam non Eccleſiæ modo ſa
cra iura, & Patrum veneranda ſcri-
pta cõfirmant; ſed etiam Chriſti di-
uina verba concludunt declarantq;
cum ait: Quorum remiſeritis pecca
ta, remittuntur eis: & quorum re-
tinueritis, retenta ſunt. Atqui re-
mittere, vel retinere peccata (cum
iudicis hæc ſint officia) nullus re-
cte poteſt Sacerdos, niſi illorum
cauſa probe cognita, atque per-

Clemens ad Iaco. Leo in epiſt. 89. & 57. Ioan. 20. & in hunc locum Grego. hom. Et Chryſo. de Sacerdo. lib. 3. Dionyſ. ad Demophilum. Later. & Florent. Hiero. in cap. 16 Matt.

ſpecta ſit. Quę cauſæ cognitio prius fieri non poteſt, quàm is, qui expendendum ſe Sacerdoti, vt Iudici, ac medico ſuo, abſoluendumq́; tradidit, ſpontanea confeſſione vulnera ſua ſigillatim detegat, atque ita aperiat, vt ſacerdos quid ligandum ſit, quid ne ſoluendum explicate cognoſcere queat.

Quomodo Patres de Confeſſione ſcribunt?

Clemēns ad Iac. Origen. In Pſa. 37 Chryſ. li. 3. de ſacerdotio. In Regula mona-

HI certe non modo confitendi vtilitatem, & vſum, qui ſemper in Eccleſia fuit, ſed ius etiam, atque neceſſitatem nobis magno conſenſu commendant, comprobantq́;. Vt etiam a plurimis paucos, & probatiſſimos illos teſtes producamus, ſic habet in primis magnus ille Baſilius: Neceſſarium videtur his, quibus diſpenſatio Myſteriorum Dei commiſſa eſt, confitea

da eſſe peccata. Sic enim, & hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud Sanctos confeſſi eſſe peccata ſua. Tum Cyprianus, Confiteantur, inquit, ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cui uſq;, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt. Accedit his Auguſtini ſententia, qui ait, Sunt, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua cõfiteantur crimina. Nolunt enim aut erubeſcunt ſiue dedignàtur ſe oſtendere Sacerdotibus, quos tamen inter leprã, & lepram diſcernere per Legislatorem cõſtituit Dominus. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, vel tabeſceas præ rubore, vel ceruicoſus prę indignatione. Nam

chorum, & Inſti. monaſt.

Serm. 5. de lapſis.

Lib. 2. de uiſit. infirmo. ca. 4. & lib. 1. c. 2. Tum in Pſ. 66. Leui. 14. Luc. 17.

ipſius ſimiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Nec minus eſt euidens, quod Leo ille Magnus ſcriptum reliquit: Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentię medicinam ſpes vitę reparetur ęternę, vt qui Regenerationis donũ violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent: ſic Diuinę bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotũ nequeat obtineri. Mediator. n. Dei, & hominũ Deus, & homo Chriſtus Ieſus, hãc prępoſitis Eccleſię tradidit poteſtatem, vt & confitentibus ſatisfactionem pœnitentię darent, & eadem ſalubri ſatisfactione

Epiſt. 91. ad Theodurum. Epiſco.

purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

Quid porro de Satisfactione ſentiendum eſt?

ID videlicet, quod alia Chriſti Redemptoris propria, alia fidelium pœnitentium communis ſit Satisfactio. Illa ſemel in corpore Chriſti crucifixi, dum agnus ille mundi peccata tulit, peracta eſt, vt qui natura ſunt iræ filii Deo reconcilientur. hęc vero, quę ad pœnitentes pertinet, a Chriſti membris in Eccleſia quotidie peragitur, cum pęnitentes poſt Confeſſionem ea, quæ Sacerdos abſoluens iniunxit, perficimus, aut cum vltro quidem dignos pœnitentiæ fructus edimus, quæ vindicatoria ſimul, & emendatoria quædam eſt Satisfactio, & Redemptoris CHRISTI be-

Heb. 9. Epheſ. 5. 1. Ioan. 2. Ioan. 1. Epheſ. 2. 1. Co. 15. 1. Cor. 5. Cypr. lib. 3. epiſt. 8. & 4. Tertul. de pœnitent. Iſai. 56. Ezc. 18.

2. Cor. 7. neficium, atque ſatisfactionem a-
Pſal. 50. deo non obſcurat, vt magis etiam
& ibidem commendet illuſtretque. Illa enim
Chryſoſt. præeunte, ac pręcipue cooperante,
& in c. 3. iudicium facimus, & iuſtitiam, iu-
Matth. xta diuinam ſcripturam, delicta no
ſtra contra nos ipſos vindicantes,
& reſiduas in nobis peccatorum re
liquias diluentes, Deique gratiam
nobis pleniorem conciliantes, atq;
promerentes. Cui rei luculentum
2. Reg. 4. præbent exemplum Dauid, & alii,
Ionę. 3. quos in cilicio, cinere, gemitu, lu-
3. Re. 21. ctu, ieiunijs, aliisque afflictionibus
Matt. 11. pœnituiſſe conſtat, & hinc Deo gra
Iudith. 4. ti, & approbati fuiſſe leguntur. Huc
Ioelis 2. etiam ſpectant illa: Peccata tua
Dani. 4. eleemoſynis redime. Item, Con-
Ioel. 2. uertimini ad me in toto corde ve-
2. Cor. 7. ſtro, in ieiunio & fletu, & planctu.
Et quod Paulus docet, triſtitiam,
quę ſecundum Deum eſt, operari
vindictam. quodque idem ſcribit,
1. Co. 11. Si nos ipſos diiudicaremus, non

vtique

vtique iudicaremur a Domino. Ea propter non eſt, cur de ſatisfactionis nomine, quod certe Patribus per quam familiare eſt, diſcrepemus, cum in ſcripturis res ipſa perſpicue proponatur.

Profer aliquot Patrum de Satisfactione ſententias?

CYprianus ille, ſanctiſs. Martyr, & teſtis grauiſſimus, in hunc modum docet: Deus quantum Patris pietate indulgens eſt, tãtum iudicis maieſtate metuendus eſt. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor ſit: orare oportet impenſius, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes, ac fletibus inſomnes ducere, tempus lachrymoſis occupare lamentationibus, ſtratos adhærere cineri, in cilicio vo-

Serm. 5. de lapſis. Idem. lib. 1. epi. 3. & lib. 3. epi. 14.

lutari,& ſordibus. Idemque rurſus: Rogandus eſt Deus, & ſatisfactione noſtra placandus, delicta noſtra reputanda, actus noſtri, & animi ſecreta voluenda, conſcientiæ merita ponderanda. Nec multo poſt: Pœnitentiæ iter, quod oſtendit Antiſtes, amplectamur: remedia vitalia, quæ de ſcripturis cœleſtibus ille depromit, aſſumamus, & ex vulneribus etiam occultis, quorum exomologeſin facimus, exponentes apud eum conſcientiæ noſtræ pondus, ſalutarem medicinam exquiramus: nec ceſſemus in agenda pœnitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod nimis eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur.

Serm. 5. de lapſis.

Et Auguſtinus clariſſime dixit: Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de ijs, quæ facta ſint, ſatisfiat Deo per humiltatis gemi-

De pœnit. lib. 2. & Ench. cap. 70.

tum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.

Tum alibi quoque ſic idem habet: Quomodo nullus dies eſt, in quo homo poſſit eſſe ſine peccato, ſic nullo die debet eſſe ſine ſatisfactionis remedio. Et apud Hieronymum legimus in hunc modum: Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina, & ſerica precioſiſſima aſperitate cilicij commutanda.

Hom. 2. in Apoca. in epitaphio Paulæ.

Tum rurſus: Peccator dormiat in ſacco, & præteritas vitæ delitias auſteritate compenſet. Eodem ſpectans Ambroſius, Qui agit pœnitentiam, inquit, non ſolum diluere lachrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendationis factis operire, & tegere ſuperiora facta, vt ei non imputentur. Atque idem alibi: Grandi plagæ alta, & pro-

In Malachi.

Lib. de pœnitent.

Ad vrginẽ lapſam

lixa opus eſt medicina. Grande ſcelus, grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.

Eſt ne Satisfactioni etiam poſt mortem locus?

AD hoc explicandum varia morientium conditio eſt obſeruanda. Horum enim, alij gratiam Dei, vitæq; innocentiam ad finem vſque conſeruant: ad quos pertinet Manaſſis dictum: Iuſtis, & ijs, qui non peccauerunt, vt Abraham, Iſaac, & Iacob pœnitentiam non eſſe poſitam. Alij peccauerunt quidem & ex accepta Dei gratia exciderunt, ſed criminum ſordes dignis pœnitentię fructibus expiarunt: vt Dauid, Ezechias, Petrus, Magdalena. Vtrunque hoc genus nulla poſt mortem eget ſatisfactione, ſed ab ea prorſus eſt liberum. At longe plures ſunt homines medij generis

In oratione Manaſſis pęnitentis. 1.Reg.12. Pſal.6. Eſai.38. Matth 27. Luc.7. In Enchi. cap.110. 1.Cor.3.

morientes, nec valde mali, vt Auguſtinus indicat, qui peccatorum ſuorum pœnitentiam in vita perfectam non præſtiterunt: ideoque per ignem ſaluandi, vt quod ſatiſfactioni pro hac vita conuenienti defuit, in altero ſęculo iuſtitiæ diuinæ perſoluatur. Nihil enim coinquinatum intrabit in ſanctam illam ciuitatem.

Huiuſmodi ergo defunctis, vt ad quæſtionem propoſitam reſpondeamus, ſubeunda eſt quædam, & grauis illa profecto poſt mortem ſatisfactio. Quam interim Deus pro ingenti clementia ſua relaxare conſueuit, pietate viuorum intercedente, vt defuncti, ſuorum in Eccleſia fratrum, adeoq; membrorũ adiuti ſuffragijs, a peccatis, horrẽdiſq; peccatorum pęnis teleuentur. Et huc ſpectat, quod ſacræ ſcripturæ tradit auctoritas: Sancta, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis

& ibidem. Origen. Ambro. Hierony. Auguſtin. Gregor. Apo.21. Pſa.14 23 Auguſt.in pſal.37. Idem lib. xx.de ciu. Dei.& Dama.ſerm. de his qui ex hac vita migrar. 2.Macab. 15. Ibidẽ. Cõcil.Carth.4. cap. 79. & 95. Braccar.

orare, vt a peccatis ſoluantur. Vnde laudatus eſt ille Machabæus, quòd ſingulari religione ductus pro mortuorum peccatis non preces modò, ſed etiam ſacrificium offerri ſolicite, atq; ſumptuoſe curauit.

In hanc ſententiam concedunt venerandæ Synodi, & Patres, qui veram Eccleſiæ doctrinam tradiderunt. Ex quibus, vt vnus pro multis, idemque fide digniſſimus teſtis Auguſtinus, proferatur, In ſecundo inquit, Machabæorum libro legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed, ſi nuſquam omnino in ſcripturis veteribus legeretur; non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, vbi precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio animarum. Et rurſus alibi: Purgatorias pœnas nullas futuras opinan-

lib. de cura pro mortuis gerenda.

De ciuitate Dei

dum eſt, niſi ante illud vltimum, tremendumque iudicium. Et quid illis verbis luculentius? Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, inquit, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum (defunctorum) ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur a Domino, quàm peccata eorum meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia. Sic Auguſtinus ante M.CC. annos, vt interim eo vetuſtiores etiam, Cyprianum a, Origenem b, Dionyſium c, Clementem d, in hac doctrina max. conſentientes, prætermittamus.

lib. 21. Auguſti. de verb. Apoſt. ſerm. 32. Et in Enchi. c. 109 & 110. a lib. 4. epiſt. 2. & li. 1. epi. 9. b in. Leui. c de Eccle. hier. d epiſt. 1.

Quo circa Chryſoſtomus palam hortatur, vt pro viribus, & ipſi defunctos iuuemus, & alios, qui pro ipſis orent, commonefaciamus. Non enim fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorũ myſteriorum, memoria fiat eorum,

In 1. cap. epiſt. ad Philipp. & in 15. 1. Cor. Epipha. contra Aenium, &

Augu. de heresib. In Pſa. 37 Orige. in Hiere. & Leuit. In Ench. c. 110. Et de cura pro mor. gerenda ca. 1.4. & 18. Matt. 3.

qui hinc deceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Ita Chryſoſtomus. Hoc eſt demum, quod aduerſus Aerianos Eccleſia fida ſcripturæ interpres vſque docuit, ignem eſſe quendam purgatorium ſeu emendatorium, vt Auguſtinus appellat, eoque pœnas peccatorum, quas hic Pœnitentia non diluit, defunctis in Chriſto fidelibus luendas & expiandas eſſe, niſi prout Auguſtinus loquitur, viuentium ſuorum pietate illi releuentur.

Quæ commendatio ac dignitas eſt Pœnitentię?

Mar. 1. Luc. 15. Matt. 7. Matt. 11. Augu. de pœniten.

HAec eſt Euangelicę prędicationis exordium, Angelorum in cœlis gaudium, via in terris arcta, & anguſta porta, per quam fideles ad vitam contendunt, & violenti rapiunt regnum cœlorum. Hæc

lapſos erigit, ſaucios curat, imbecilles roborat, mortuos viuificat, perditos reſtituit, omniaque demum, quæ peccatum vitiat, Pœnitentia in nobis redintegrat. Hac Dęmones, & vitiorum peſtes ſuperamus: hac meritas pœnas auertimus, Dei placamus iram, conciliamus gratiam, & gloriam ęternam comparamus. Hinc illæ Chriſti voces in Euangelio: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. At is demum veram pœnitentiam agit, vt Cypriani verbis hæc omnia concludamus, qui Dei & Sacerdotis præceptis obediens, & obſequijs ſuiș, & operibus iuſtis Dominum promeretur.

Hier. 18. Ezec. 18. & 33. Ionæ. 3. Mat. 3. 2.Cor.7. Acto. 11. Mat. 3. Mat. 9.

Luc. 13.

Cyp. ſer. 5. de lapſis.

DE SACRAMENTO *extremæ unctionis.*

Quid de Sacramento extremæ vnctionis credendum eſt?

Concili. Floren.

ID ipſum nempe, quod Catholica Eccleſia cõſtanter docet, ſignum hoc eſſe ſacrum in conſecrato oleo inſtitutum, vt per illud cœleſtis virtus ad ſalutem applicetur ægrotis ex diuina inſtitutione. Cui ſacramēto teſtimonium longe clariſſimum præbet D. Iacobus Apoſtolus, cum in hæc verba ſcribit: Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit in-

Hieron. & Beda in cap. 6. Marci.

Iacob. 5. & Aug. lib. 2. de viſit. infirmorũ.

firmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi, in peccatis fuerit, remittentur ei.

Quid his verbis docet Apoſtolus?

PRimum Sacramenti huius oſtendit elementum, ſeu materiã oleum eſſe, quòd recte Hieronymus conſecratum oleum vocat, quia ſolenni benedictione per Epiſcopos conſecratur. Significat autem hilaritatem animi, & confortationem internam, quæ per Dei gratiam Sacramenti huius virtute ab ægroto percipitur. Deinde per Apoſtolum deſignatur Sacramenti miniſter proprius, nimirũ Sacerdos, qui ſacram hanc vnctionem cum orationibus decenter exerceat. Ita non fruſtra de Apoſtolis eſt ſcriptum: Vngebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur.

In 6. cap. Marci, & Innocen. ad Epiſc. Eugub.

Chryſ. lib. 3. de Sacerd. Mar. 6. & ibidem Beda.

Innocent. ad Decentiã epiſt. Conc. Flo.

Tertiò, qui ſuſcipiunt hoc Sacramentum, a Iacobo dicti ſunt infirmi; quoniam, vt Eccleſiæ mos eſt in grauibus, & periculoſis infirmitatibus tantum ſacra iſthæc vnctio celebretur.

Quid eſt Sacramenti huius fructus, & effectus?

Teirul. ad Scapulam Aug. lib. 2 de viſitat. infirmorũ

Confert primum ad remiſſionẽ peccatorum, quæ quidem ab ægroto pœnitentiæ remedijs non ſunt expurgata. Deinde prodeſt ad corporalem infirmitetem, vel depellendam, vel alleuiandam, quatenus expedit eã ęgroto recuperare. Poſtremo ad conſolationem, & fiduciam ſubminiſtrandam iuuat, qua ſane in ſupremo illo agone, exituq; animæ opus eſt, maxime quando & cũ doloribus maximis, & cum horrendis dęmonibus morituro eſt grauiſſime cõflictãdum.

Atqne hoc eſt quod per Apoſtolum ſuum Deus promiſit: Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus; &, ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Ad quos quidem deſignandos effectus etiam olei natura, ſeu natiua vis pulchre congruit, vt explicat Teophilactus: Quo circa retinendum eſt prorſus, quod ſaluberrime monet Auguſtinus: Qui ægrotat, inquiens, in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide, ac deuotione accipiat: Oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde ſuum corpus vngatur, & ſecundum Apoſtolum, Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.

Iacob. 5.

In cap. Marci

Lib. de rectitudine catholicæ conuerſationis.

Iacob. 5.

DE ORDINIS *Sacramento.*

Quid eſt ordinis Sacramentum?

Concil. Florent. Ambr. in 12. cap. 1. ad Corin. 1. Cor. 4. Malac. 1. 2. Tim. 3. Ephe. 4. 1. Cor. 14. Ephe. 4. Heb. 5. Act. 1. Cypria. lib. 4. epiſto. 2. Tertul. de

EST, quo ſingularis gratia, ac poteſtas ſpiritualis quibuſdam traditur, vt munus in Eccleſia ex profeſſo gerant. Hoc eſt Sacramentum, per quod, velut oſtium, neceſſario intrant legitimi diſpenſatores myſteriorum, & eloquiorum Dei, miniſtri Chriſti, & Eccleſiæ, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & quotquot demum in Eccleſiaſticis muniis obeundis rite, & cum auctoritate verſantur. Nemo enim, vt Scriptura teſtatur, ſibi ſumit ho-

norem, exercendorum videlicet mi- prę.
niſteriorum Eccleſiæ, niſi qui voca- Hæretic.
tur a Deo, tanquam Aaron: hoc eſt, Matt. 10.
niſi Sacramento viſibilis Ordina- Luc. 9.
tionis initiatus, & ab Epiſcopo legi- Marc. vlt.
time ordinatus, miſſuſque fuerit ad Ioan. 20.
opus certi miniſterii. quod in Ec- Act. 13.
cleſia pro ſuo ſtatu gerat iuxta le- Tit. 1.
ges diuinæ, & Apoſtolicę Traditio-
nis.

Non ne omnes Chriſtiani ex æquo ſunt Sacerdotes?

MInime quidem. Quippe, ſi proprie Sacerdotis nomen accipimus, dũtaxat quadrat iis, qui bus auctoritas, & poteſtas ex inſtituto Chriſti facta eſt conſecrandi, offerendique ſacram Euchariſtiam, Epiſcopalia item munia exercendi, peccata inſuper, tum remittendi tú retinendi in Eccleſia. De quibus nouæ legis ſacerdotibus, ſeu preſbyteris ita Paulus: Qui bene

Hieron. contra Luciferianos.
1. Tim. 5.
1. Tim. 2.

1.Cor.14 præſunt presbyteri, duplici hono-
Ioan 21. re digni habeantur, maxime qui la
1 Pet. 5. borant in verbo, & doctrina. Id
& 2. quod congruere non poteſt mulie-
Heb.13. ribus, quas in Eccleſia idem Apo-
Rom.13. ſtolus non docere iubet, ſed tace-
Matt. 23. re: neque omnino plebeis conue-
Luc.10. nit, quorum eſt, ouium more, paſci
1. Ioan.4. non paſcere: regi, non regere; nec ſe
Ephe. 1. præferre, ſed ſubijcere; & ſubiacere
Coloſ.1. præpoſitis, & quęcunque hi, ſiue bo
Dani 7. ni, ſiue mali, in Cathedra ſedentes di
Diony. xerint audire, ſeruare, & facere, vt
de cęleſt. Verbo Dei præcipitur. Quapro-
hierarc. pter ſicut in Eccleſia triumphante
1.Tim.3. Angeli ſunt ordine, ac poteſtate dif
Cantic. 6. ferentes, qui iniuncta ſibi munia de
Anaclet. centi quadam ſerie obeunt, ac fide-
& Iſido- liter exequuntur: ſic militans etiam
rus Di- Eccleſia, quę domus Dei, & velut
ſtinct. 12. caſtrorum acies quædam ordinata
Heb. 5. eſt, miniſtros habet ſibi peculiares,
2.Cor. 5. a reliquis Chriſtianis ſeiunctos, &
Heb.13. pulchro ordine inter ſe diſpoſitos

ad

ad publica, & communia Eccleſiæ miniſteria peragenda: nimirum vt pro Chriſtiano populo in his, quæ ad Deum, ſalutemque animarum ſpectanr, ſuas illi operas ex profeſſo,ac pro dignitate præſtent.

Quo loco Scriptura teſtimonium huic Sacramento præbet?

ILlic ſcilicet, vbi de Apoſtolis legitur, quod in Eccleſiæ miniſtris deligendis, inſtituendis, atque ordinandis vſi ſunt manuum impoſitione. Hoc enim veluti ſymbolo certo, & efficaci præſentis gratię, quæ in Ordinum collatione exhibetur, & accipitur, Sacramentum illud nobis eſt commēdatum. Quare Paulus ad Timotheum a ſe creatum Epiſcopum ſcribens, & acceptæ in hoc Sacramento gratiæ illum admonens, Noli, inquit, negli-

Acto. 6. 14. & 15. 1. Tim.4. 2. Tim.1. Ambroſ. lib. 3.de Dignit. ſacerdo. 1. Tim.4. & ibidem Theoph.

gere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyteri. Et rurſus ad eundem: Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. Quoniam vero per magni refert, quales in Eccleſia quibuscunque muniis præficiantur, & Eccleſiaſticam poteſtatem ex hoc Sacramento accipiant, ad omnem Epiſcopum dicitur: Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.

1. Tim. 1.
Concil. Baſilien.
1. Tim. 5.
Leo in Epiſt. 65.

Quot gradus in ſe continet hoc Sacramentum?

GEneratim quidem minores ordines, maioresque continet: minores ſcilicet quattuor, Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, & Acolytorum: maiores vero tres, nempe Subdiaconorum, Diaconorum

Concil. Car. 4. & Laodic.
Ignat. ad Antioch.
Diony. de

ac Presbyterorum. Ex Presbyteris porro alij maiores, alij minores a Chriſto inſtituti inueniuntur. Maiores enim Presbyteri Apoſtoli ſunt, eorumque ſucceſſores, Epiſcopi, magna ſane poteſtate, & reuerenda dignitatis prærogatiua excellentes. Nam horum eſt, Scriptura teſte, attendere ſibi, & vniuerſo gregi, quem a Spiritu ſancto curandum paſcendumque accipiunt, regere Eccleſiam, ea, quę deſunt corrigere, per ciuitates item Presbyteros conſtituere. Minores vero Presbyteri ſub Epiſcopis, ſicut ſeptuaginta duo illi Diſcipuli ſub Apoſtolis, in Eccleſiæ miniſterio deſeruiunt, dona, & ſacrificia pro peccatis offerunt, atque in curanda Dominica meſſe, tanquam operarij, ſecundum illos exiſtunt. Verum præſentis inſtituti non eſt, quæ ſingulis Ordinibus functiones, & leges præſcriptæ ſint, enucleare.

eccl. hie-rarc. Luc. 9. & 10. Cypr. lib. 1. epiſt. 3. & lib. 3. epiſt. 9. Ignat. ad philadel. Acto. 20. 1. Pet. 5. Heb. 13. Ad Tit. 1. Luc. 10. Anacle. epiſt. 3. Heb. 5. Mat. 9.

Illud ſane conſtat, magno in pretio cunctos Ordines habendos, ac ſedulo retinendos eſſe. Firmum enim teſtimonium illi præbet ſacra traditionis Apoſtolicæ, Eccleſiaſticęq́; obſeruationis diſciplina, quæ ad nos vſque tranſmiſſa perdurat.

Ambr. in epiſt. ad Epheſ. c. 4.

Quomodo veteres Patres de hoc Sacramento ſcribunt?

CErte Auguſtinus, doctor vere catholicus, ſuam, & Eccleſiæ ſententiam his verbis manifeſte declarat: Quod inſufflaſſe in diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe: Accipite Spiritum ſanctum. Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum ſanctū aguntur, idcirco, cùm regula eis, & forma traditur huius diſciplinę, dicitur eis; Accipite Spiritum ſan-

Lib. quęſt. vete. & noui teſtam. & libr. 2. contra literas Parmeniani Ioan. 20.

ctum. Et quia vere ad ius Eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubiecit dicens: Cuius tenueritis peccata, tenebuntur; & cuius remiſeritis, remittentur ei. Inſpiratio ergo hæc gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur Ordinatis, per quam commendatiores habeātur. Vnde Apoſtolus dicit ad Timotheū Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyteri. Semel ergo fieri oportuit, vt de cętero traditio iſta non ſine dono Spiritus ſancti eſſe crederetur. Huculq; Auguſtinus: Extant & Apoſtolorum Canones publico Eccleſiæ iudicio recepti, in quibus hoc modo ſtatuitur: Epiſcopus a duobus, aut tribus Epiſcopis ordinatōr: Presbyter ab vno Epiſcopo ordinatōr: ita Diaconns, & reliqui Clerici. Tum infra: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaco-

1. Tim. 4.

In 6. Synodo. Canon. 1. & 2.

Can. 68.

Vide inſignes Canones 61. diſtinctionis.

nus, aut Lector, aut Cantor ſacram Quadrageſimam non ieiunauerit, aut quartam feriam, aut Paraſceuen (hoc eſt, ſextam feriam) Ordine mouetor, niſi forte infirmitas corporis impediat. Caius vero ante annos. M.C C. Pontifex, & Martyr illuſtris, hos ipſos gradus, & Ordines ſigillatim recenſet, cum ait: Si quis Epiſcopus eſſe meruerit, primo Oſtiarius, deinde Lector, poſt Exorciſta, deinde ſacretur Acolytus: dehinc vero Subdiaconus, Diaconus, & poſtea Preſbyter: exinde, ſi meretur, Epiſcopus ordinetur. Laudat igitur Cyprianus Cornelium Epiſcopum, ac bonis omnibus tum in Clero, tum in populo eundem laudabili prędicatione commendari ſcribit: Quia nō iſte ad Epiſcopatum ſubito peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in Diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe pro-

Lib. 4. epiſto. 2. Et diſtinct. 31. cap. Qui Eccleſiaſt.

meritus, ad Sacerdotij ſublime faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendit: tum deinde Epiſcopatũ ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec vi inuaſit; ſed quietus, modeſtus caſtus, humilis, verecundus, demum & coactus excepit. Quos igitur Ordines vetus, & Apoſtolica probauit Eccleſia, ſicut a Dionyſij, b Anacleti c Ignatijque ſcripta declarant, eoſdem ętas omnis complexa poſterior, ſuo etiam iure conſeruat.

a De Eccleſ. hierar. & ad Demophilum.
b diſt. 21.
c Ad Antiochen.

Quis eſt Ordo in Eccleſia magis celebratus?

PResbyterorum Ordo ſiue Sacerdotũ: de cuius ingenti, ſemperque reuerenda dignitate Chryſoſtomus, & Ambroſius libros integros ediderunt. De quo Magnus etiam ille Ignatius, Sacerdotium inquit, ſumma eſt omnium bonorũ, qui in hominibus cõſiſtunt: quod ſi

Epiſt. ad Smyrnenſes.

quis inhonorauerit, Deum inhono
rat, & Dominum Ieſum Chriſtum
primogenitum totius creaturę,& ſo
lum natura principem Sacerdotem
Dei. Sic ille.Quin & dilucide teſta
Malac. 2. tur Diuinum oraculum: Labia Sa-
Et diſti. cerdotis cuſtodient ſcientiam, &
43. ca. Sit legem requirent ex ore eius: quia
rector. Angelus Domini exercituum eſt.
Deut. 17. Et rurſus: Qui ſuperbierit, no-
Et Cyp. lens obedire Sacerdotis imperio,
lib.1.Epi. qui eo tempore miniſtrat Domino
3. & 8. Deo tuo, ex decreto Iudicis moric
tur homo ille, & auferes malum
de Iſrael, cunctuſque populus au-
diens timebit, vt nullus deinceps
intumeſcat ſuperbia. Hinc, & Apo
1.Tim.4. ſtolus iubet: Aduerſus presbyterum
Vide 2. accuſationem noli recipere, niſi
Epiſtol. ſub duobus aut tribus teſtibus.
Fabian. Idque ad Timotheum Epheſiorum
Epiſcopum ſcribitur, ſicut & il-
1.Tim.4. lud: Qui bene præſunt Presbyteri,
duplici honore digni habeantur:

maxime qui laborant in verbo, & doctrina.

Quid vero de malis Sacerdotibus eſt ſentiendum?

DIuina iſthæc eſt ordinatio, quę non poteſt aboleri, vt non boni modo, ſed mali quoque Sacerdotes in Eccleſia honorentur. Vult enim in ſuis miniſtris agnoſci, recipi, audiri, atque obſeruari, ille qui dixit. Snper Cathedram Moſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum autem eorum opera nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Iam inter malos delectus quidam habendus eſt, vt quod ad munus, actoritatemque docendi ſpectat, illis tantum fidem, obedientiamq; deberi intelligamus, qui ab Epiſcopis legitime ordinati, ac miſ-

Ecol. 7. Chryſoſt. in Gen. Auguſt. epi. 137. Mat. 10. Luc. 10. Mat. 23. Et c. Secundum diſt. 19.

Cyp. lib. 1. epiſt. 3. Chryſo. ad Heb. c.

Quieſcamus. Diſtinct. 42. & c. adijcimus 16. q. 1. Lib. 4. c. 43. Vide eundem li. 3. c. 2. Lib. 3. c. 44.

ſi, ſanam Eccleſiæ doctrinam profitentur. Qua de re ſapientiſſime monet, atque hunc in modum docet antiquiſsimus Irenæus: Ijs, qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire opportet, qui ſucceſſionem habẽt ab Apoſtolis, & qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis acceperunt: Reliquos, qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos. Nec multo poſt: Ab omnibus talibus abſiſtere oportet: adhærere vero ijs, qui Apoſtolicam, ſicut prediximus, doctrinam cuſtodiũt, & cum Presbyteri Ordine ſermonem ſanum, & conuerſationem ſine offenſa præſtant ad confirmationem, & correctionem reliquorum. Hęc Irenæus ille, qui ſancti Ioannis Euangeliſtę diſcipulum Polycarpum prçceptorem audiuit. Et hęc

Tertulliano cauſa fuit, cur hęreti- cis exprobrans ordinationes eorũ temerarias, leues, & inconſtantes, diceret. Nunc Neophitos collocant, nunc ſęculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros: vt eos gloria obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quã in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis ſacerdotalia officia iniungunt. Hucuſque Tertullianus. Lib. de præſcriptionib. hęreticorum.

Quę virtus eſt huius Sacramenti, & quis effectus?

EXimia certe virtus eſt, & effectus multiplex. Nam qui ſeptem his Ordinibus, quos diximus, rite initiantur, Dei conſequuntur Concil. Florent. Et Augu.

lib. 2. contra Parm.
In 12. c. 1. Cor.
Acto. 6. 13 14 15.
1. Tim. 4.
Tit. 1.
Cypr. lib. 1. Epiſt. 4. & 6.

gratiam, & poteſtatem ſpiritualem vt, quæ ad Ordinum ipſorum functiones proprias pertinent, ſalubriter exequantur, ac inter Deum, Deiq; populum idonei miniſtri ſint conſtituti. Vnde Ambroſius : In loco Ordinis officij eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet qualiſuis ſit, nõ vtique propriam, ſed Ordinis per efficaciam Spiritus ſancti.

Num 17.
Heb 5.
2. Paral. 26.

Habent præterea ijſdem ordinati certum ex eo, & illuſtre teſtimonium, quo ſe, miniſteriaq; ſua cõmendent, & comprobent alijs. Ita fit, vt his Ordinibus inſignes, & in miniſterium Eccleſiæ ſegregati recte cognoſcantur, & ſuo in loco habeantur, meritoq; honorentur. Væ autem ijs, quos non Aaronis a Deo vocati exemplum impellit, ſed animi tumor, atque ſuperbia ad ĩſtar Oziæ Regis, ad Sacerdotalis dignitatis munera quomodocunque occupanda, obtinẽdaq; præcipitat.

In quos diuinus ille ſermo recte cōpetit: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Quomodo autē prædicabunt, niſi mittantur? vt ſegregatus ille in miniſterium Paulus inquit. Hiero. 13. Rom. 10.

Certe Ordine confuſo, & ſublato Sacerdotio, veri, & legitimi Eccleſiæ miniſtri haud internoſcerentur: docendi munus, & auctoritas vileſceret, Sacramentorum diſpenſatio infide præpoſtereque curaretur, ac vana etiam foret: functiones Eccleſiaſticæ perturbarentur: atque, ſicut res nunc ipſa docet, nouæ, falſæque doctrinæ paſsim ſpargerentur, grauibus demum, & exitialibus motibus identidem Eccleſia concuteretur. Quapropter Apopoſtolus Paulus non modo gradus miniſtrorum in Eccleſia diuerſos poſuit, verum etiam, quàm ſalutares, ac neceſſarij eſſent, adiunxit, Act. 13. Ea Leone & Gregorio, qui citātur etiā diſtinct. 61. & 89. 1. Cor. 12.

Ephe. 4. vt affirmet diuinitus eos eſſe datos Eccleſię ad conſumationem Sancto rum in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti, & vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.

Eoque magis miniſtrorum iſthęc inſtitutio, tanquam nexus firmiſſimus Eccleſię, & conſeruandę vnitatis pulcherrimum vinculum ſedulo retinenda, & in malis etiam Eccleſię miniſtris, vti diximus, propter Diuinam ordinationem eſt vſque honoranda. Vnde ſcripſit Auguſtinus, In illum, inquiens, ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc in eadem Cathedra ſedet, ſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil pręiudicaret Eccleſię, & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus proui

Epi. 165. de ſchiſmate Donatiſtarũ. Et 1.q. Non quales.

dens, ait de Prępoſitis malis: Quæ dicunt, facite: quę autem faciunt, facere nolite. Hæc Auguſtinus.

DE MATRIMONII *Sacramento.*

Quid eſt Matrimonium?

MAtrimonium eſt legitima viri, fœminæq; coniunctio, quę conſuetudiné vitæ indiuiduam retinet. Cuius quidem coniugalis coniunctionis ſi prímarium auctorem quæris, Deus eſt Opt. Max. ſin finem inſtitutionis ſpectas, eſt humani generis propagatio, ac deinde fornicationis in hac naturæ corruptæ imbecillitate deuitatio.

27. quęſt. 2. 61.
Gen. 2.
Mat. 19.
1. Cor. 7.
Ephe. 5.
32. q. 2.
c. Sicut.
1. Cor.

Qua ratione Matrimonium eſt Sacramentum?

Ambroſ. in cap. 5. Epheſ. Concil. Conſtan. & Florentinum. Hiero. in Mat.Ca. Connubi. 32.q.2. & quęſt.4.c. Nemo.

QVatenus ea coniunctio, quæ inter virum, & vxorem arctiſſima intercedit congruum, & ſacrum eſt ſignum diuinitus inſtitutum, quo Chriſti ſponſi, & Eccleſiæ ſponſæ coniunctio ſanctiſſima firmiſſimaque deſignatur. Hoc ipſum ſignum Chriſtianis coniungibus, quādo matrimonium rite auſpicantur, ad gratiam Dei prodeſt accipiendam: nimirum vt duo ſint, maneantque in carne vna ſecundum ſuam vocationem, & fiat in eis quod Apoſtolus docet, honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Proinde Paulus idē, vbi coniunctionis eiuſmodi tractat myſterium, perſpicue dixit: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Sic

Heb.13.

Eph.5.

Lib. 1. de

Sic & Auguſtinus, Non tantum, inquit, fœcunditas cuius fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et rurſus: Fœdus illud initum nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt ne ipſa ſeparatione irritum fiat.

nuptijs & concupiſcentia.

Epheſ. 5.

Augu. lib. de bono. cõiugali.

An dirimi vnquam poteſt Matrimonium?

MAtrimonium dirimi non poſſe, Chriſtus Dominus aperte teſtatur, cum ait: Omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur. Ac rurſus alibi: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Hanc Dei legem,

Luc. 16. Matt. 5.

Matt. 15.

& inuiolabilem ordinationem Paulus porro illuſtrans, His, ait, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Ac poſtea ſubijcit: Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Et ſi igitur nulla etiam proles conſequatur, & quęlibet vitæ accedant incommoda, duriſſimiq; caſus, tamen conſummatum ſemel matrimonium valet, adeoq; ratum, & firmum eſt, vt vſq; indiſſolubile in omni vita perſeueret. Cuius rei cauſam in Chriſto ipſo ſtatuemus, qui ſumma, perpetua, & inſeparabili prorſus vnione Eccleſiam, Sponſam illam vnicam, ſemperque chariſſimam ſibi adiunxit, atque copulauit. Neque ſolum hæc ipſa, quæ inter virum, & vxorem eſt, coniunctio, vinculi

1.Cor.7.

Ibidem.
Auguſt. de adulterio coniugijs. & de voto redempt. in 6. Epheſi. 5.
Cantic. 4.

coniugalis habet firmitatem, verū etiam omnem inde Polygamiam, ne vni videlicet plures nubant, penitus excludit. Quare Chriſtus vt Matrimonium & certius confirmaret, & ad puriorem, primęuūq; illum ſtatum reuocaret, ſignificanter dixit: Erunt duo in carne vna. Et, Iam non ſunt duo, ſed vna caro. Gen. 2. Matt. 19. Mar. 10.

Eſt ne permiſſum omnibus Matrimonium?

MInime. Tradiderunt enim ſancti Apoſtoli, vt Epiphanius inquit, peccatum eſſe, poſt decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Idq́ue tale, ac tantum eſſe peccatum aſſerit Hieronymus, vt dicat: Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tā adulteras eſſe, quàm inceſtas. Et Auguſtinus ait, Virgo, quę, ſi nuberet, non pec- Epiph. cō tra ſectam Angelinorum. Lib. 1. cō tra Iouianū. in pſa. 82. & in pſal. 75.

caret, ſanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. Proinde quod Apoſtolus habet, Melius eſt nubere, quàm vri, prout Ambroſius diſerte pronunciat, ad non pollicitam, ad nondum velatam pertinet. Cæterum quę ſe ſpopondit Deo, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali nupta eſt viro: & ſi iam voluerit uubere communi lege coniugij, adulteriũ perpetrat, ancilla mortis efficitur. Sic Ambroſius. Vnde ſemper laudatum fuit Iouiniani Imperatoris Reſcriptum, & a Iuſtiniano Imperatore in Codicem relatum, quod ſic habet: Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantum iungendi cauſa matrimonij ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.

1. Cor. 7. Lib. ad corruptã virginem.

L. Si quis C. de ſanctiſs. Epiſco. & Cler. Leo Epi. 92. canon Apoſ. 26. Comprobante Concil. Conſtan-

Iam de Monachis, & Sacerdotibus eadem ratio, idem iudicium eſt prorſus: damnationem enim ha-

bent, ſi laxatis libidini habenis, primam fidem Deo, & Eccleſiæ datá fefellerint, ſeu, vt Apoſtolus, loquitur, irritam fecerint. Qui vltro ſe abdicarunt coniugio, dum ſeruandum perpetuo Cœlibatum, aut voto expreſſe nuncupato firmarunt, aut ſacrorum ordinum ſuſceptione ſaltem tacite comprobarunt, atque teſtati ſunt. Audiant igitur Verbũ Dei, Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Tum illud: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Et quod Chriſtus ipſe docet: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei.

tinop. & Chalcedonen. Cant. 16. 1. Tim. 5. Auguſt. de bono viduita. Concil. Tolet. 5. & Carthag. 2. Eccl. 5. Deut. 33. Luc. 9.

Cogit igitur ad Cœlibatum quoſdam Eccleſia?

NOn cogit ſane pia, prouidaq́; mater, quæ legem Cœlibatus nemini imponit: ab ijs vero, qui legem eam, vti dictum eſt, vltro rece-

Leo epiſ. 92. Conci. Cóſtanti.

ſub Iuſti-niano. ca. 13.& 46. vide Can. diſt. 28. 1. Cor. 7. & Theoph ibiqem. Abroſ. de virginit.& lib. de viduis. Hier. li. 1. contra Iouianum Matt. 19. Baſili. de virgini. Epiphan. cõtra Angelinos 1. Cor. 7.

perunt, exigit, ut ſoluant religionem, ne ue conuentionem, quam cum Chriſto,& eius Eccleſia ſancta iniuerunt, violent, atq; reſcindant. Merito igitur vrgentur illi ſtare promiſſis, & ſeruare, quod ſemel amplexi ſunt, conſilium Euangelicũ: de quo Paulus: Et qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit (quandiu ſcilicet Deo dicata nõ eſt) & qui non iungit, melius facit. Ac rurſus: Bonum eſt homini mulierem non tangere. Quocirca laudatur a Chriſto, & in Eccleſia ſemper apprime laudati fuerunt Eunuchi euangelici, ſiue, vti Tertullianus vocat, ſpadones voluntarij, qui ſeipſos propter Dei regnum caſtrauerunt, vt ſint ſancti corpore, & ſpiritu, Deo in carne ſine carne militantes. Reliqua vero huc ſpectantia in locum alium commodiorem, qui conſilia euangelica declarabit, ſeruabimus.

Quæ eſt ſummaria doctrina ſuperiorum?

QVæ pro Inſtituta dicta ſunt hactenus breuitate, eo ſunt demũ referenda, vt habeant ſimplices aſſertionem Catholicam de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Quæ duplicis quidem eſſe generis inueniuntur. Alia enim, vt priora quinque, ſingularem vniuſcuiuſque fidelis ſalutem promouent: alia vero, duo videlicet poſteriora, multiplicando Dei populo, & Eccleſiæ propagandæ deſeruiuut. Vtrunque autem illud ex diuina, nobiſque neceſſaria inſtitutione efficiunt. Enimuero Baptiſmus ad ſpirituałem vitam, quæ in Chriſto eſt, regenerat. Confirmatio vires porro, ac robur addit Regenerato. Euchariſtia cibus, potus, ac viaticum eſt peregrina- Ioan.3. Tit.3. Acto.8. Ioan.6. Ioan.20. Ezec.18.

tî. Pœnitentia, præſens aduerſus omnes animi morbos pharmacũ, lapſum hominem erigit; curatq; vulneratum. Succedit extrema vnctio, quæ in poſtrema cum morte lucta munit, atque conſolatur emigrantem. Ordo deinde ministros præbet Eccleſiæ, qui ſacris præſint, ac ſuperiora omnia rite procurent, diſpenſent, conſeruent, & applicent. Denique Matrimonium Chriſtianam gentem propagat, & humanæ prouidet incontinentiæ.

Iac. 5.

Tit. 1.
1. Cor. 4.

Epheſ. 5.
1. Cor. 7.

Hæc ſunt igitur antidota, diuturnaque remedia, quæ miſericordia plenus ille Samaritanus inſtituit, & Eccleſiæ præpoſitis diſpenſanda cõcredidit, nimirũ ad probe curãdos ægrotos, id eſt, peccatores omnes in Eccleſia, quoad illi, ſi velint, veram, perfectamque ſanitatem adipiſcantur. Quæ quidem remedia rite cognoſcere, ſalubriter accipere,

Luc. 10.
1. Cor. 4.
Ioan. 20.

Luc. 10.

atque fideliter etiam alijs applicare, non artis profecto humanæ, ſed Chriſtianæ eſt ſapientiæ. De qua cum ſatis dictum ſit hactenus, quẽadmodum præſentis inſtituti ratio tulit, reliquum eſt, vt ad alteram huius operis partem, quæ Chriſtianam Iuſtitiam continet, porro tranſeamus.

DE IVSTITIA *Chriſtiana*.

Quæ nam pertinent ad Iuſtitiam Chriſtianam.

SVmmatim duo, quæ his verbis continentur: Declina a malo, & fac bonum: ſicut & Eſaias docet: Quieſcite

Pſal.36. Eſai.1. agere peruerſe, & diſcite bene facere. Prius eſt in cognoſcendis, fugiendiſque peccatis poſitum, quoniam ea ipſa maxima ſunt mala mortalibus: Poſterius vero in bonis expetendis, atque conſectandis verſatur. Vt autem iuſtitiæ hoc officium vtrunque præſtemus, Dei gratia per Ieſum Chriſtum nobis parta, & promiſſa, ſemper neceſſaria eſt. Ea vero præeunte, atque coöperante, efficitur id nobis, quod Ioannes affirmat: Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille (Deus) iuſtus eſt. Addit porro: Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.

Quid eſt peccatum?

Lib.1.Retractatio-num. AVguſtino teſte, Peccatum voluntas eſt retinendi, vel conſequendi quod Iuſtitia vetat, & vnde liberũ eſt abſtinere. Ambroſius vero

Quid eſt peccatum, inquit, niſi legis diuinæ præuaricatio, & cœleſtium inobedientia prçceptorum? Lib. de paradiſo

Quare peccatum eſt fugiendum?

QVia ſtipendium peccati mors eſt, Apoſtolo teſte. Et ſicut per Prophetam ait Dominus, Anima, quę peccauerit, ipſa morietur. Rurſuſque ſcriptum eſt: Homo per malitiam occidit animam ſuam. Nihil autem ea morte infelicius, qua homo a Sanctorum omnium conſortio, ab Angelorum, & cœlitum gaudio, atque ab ipſo denique ſummo, & ęterno bono, in cuius cognitione, ac fruitione ſane omnis ſalus, & perfecta hominis beatitudo conſiſtit, in æternum ſeparatur. Neq; ſolum a Deo, Deiq; gratia, & gloria peccatum nos excludit, ſed prçterea etiam in poteſtatem tradit dęmonum, vt cum his torqueamur

Rom. 6. Ezec. 18. Sapi. 16. Eſai. 65. Ioan. 17. Pſal. 16. 1. Ioan. 4. Rom. 2. Matt. 18.

Matt. 25. & malis omnibus in gehenna ignis
Mat.9. inextinguibilis addicamur. Atq; id
Apoc.2. eſt demum vere mori,ac damnari,
& 21. morte ſecunda,ſcilicet in ſempiter
num. Quapropter tam ſerio iubet
Eccleſiaſticus, Quaſi a facie colubri
Eccl.21. fuge peccatum. Et ſenior ille To-
bias: Omnibus diebus vitæ tuæ,ait,
Tob. 4. in mẽte habeto Deũ,& caue ne ali-
quãdo peccato cõſentias,& prętermittas præcepta Domini Dei no-
[a] Gen.4. ſtri.Hinc notanda ſunt in ſcripturis
[b] Exod. 14. ſacris quæ paſſim de punitis pecca-
toribus exempla proferũtur vt de [a]
[c] Dan.4. Cain, [b] Pharaone, [c] Nabuchodono
[d] Gen.19. ſore, [d] Sodomitis, [e] Aegyptijs, [f] Iſ-
Ezec.16. raeliticis & ceteris: eoque præcipue
[e] Exod. 8.9.10. 12.14. ſunt referenda,vt peccatorũ vindi-
cem Deũ ipſum quiſq; cognoſcat,
cognoſcendo timeat, timendo ca-
[f] Deut.32 ueat ſaluti ſuæ, & cauendo pœnas
1.Co.10. euadat horribiles peccatorũ.Graui-
Eſai. 26. ter ſane dixit Eſaias: Hic eſt omnis
fructus,vt auferatur peccatum.

Quæ via ad peccati foueam ducit?

TRibus præcipue gradibus, ad peccatum peruenitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtione quidem, dum nobis praua ingeritur cogitatio, ſiue tentatio a mundo, carne, Satana: delectatione autem dum animo, vel carni noſtræ nimium adlubeſcit, quod praua ſuggeſsit tentatio: demum, & conſenſu quoque, dum in peccatum ipſum voluntas allecta conſentit deliberate: Ex quo ſane conſenſu peccatum iam conſummatur, & coram Deo gehennæ obnoxium facit hominem, etiamſi non ſemper opere perpetretur. Vnde non temere dictum eſt illud: in ſuggeſtione ſemen, in delectatione nutrimentum, in conſenſu perfectionem ineſſe peccati.

August. de ſerm. Domini in monte Et ca. Sicut. de pœnitent. diſtin.

Iacob. 1.

Diſtin. 6. c. Sed penſandum.

Ex Gregorij Magni Moralibus.

Quod ſi exactius quoque conſideremus, oritur ex ſuggeſtione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex peccati defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Hæc eſt demum longa illa, & horrenda peccatorum cathena: hi funes, atque compedes, quibus aſtrictum hominem Satanas non ſolum in omne genus malorũ, ſed etiam in tartaream abyſſum præcipitat. Atque idcirco plurimũ refert, peccatorum gradus eiuſmodi, atq̃ue propagines, ne fallamur atque periclitemur, ſtudioſe diſcernere, & obſeruare.

Quomodo peccata facile deuitantur?

EO ſane, ſi illorum initijs prauiſque deſiderijs, quibus ad peccandum ſolicitamur, ſtatim Chriſto adiuuante occurremus, atque repugnabimus. Sicut Eccleſiaſticus monet his verbis: Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuę concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tus. Vnde Diuinum etiam oraculum pronunciat: Eccl. 18.

Non ne ſi bene egeris, recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatũ tuũ aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Gen. 4.

Quæ ſunt peccata præcipue animaduertenda?

EA nimirum. quæ dicuntur Capitalia, quod ſint veluti fontes, vel capita reliquorum, & e quibus, velut ex corrupta radice, peſtiferi plane fructibus naſcuntur, & longa quaſi ſtirpe omnis generis vitia, ſcandala, damna, corruptelæ, ac peſtes humani generis deſcendunt, atque profluunt.

Quot ſunt peccata eiuſmodi Capitalia?

De his Greg. lib. 31. Mora. & Caſſia. de octo principalibus vitijs

SEptem, quæ ſic numerantur; Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia. Sed vt hæc maximo ſemper odio proſequenda, fugiendaque; ſic Virtutes ſeptem, quæ peccatis illis opponuntur, ſummo quidem ſtudio, & amore

more, ſi vitam animæ quærimus, ſunt conſectandæ. Superbiæ contraria eſt Humilitas, Auaritiæ Liberalitas. Luxuriæ Caſtitas. cum Inuidia pugnat Charitas. Gulæ opponitur Abſtinentia, Iræ Patientia, demum Acediæ Deuotio, ſeu pia ſedulitas, ſedulaque pietas aduerſatur.

Quid eſt Superbia, & quas gignit filias?

SVperbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ, ſiue intus lateat in animo, ſiue extrinſecus etia ſeſe prodat. Hæc vitiorum quidem omnium mater, princeps, ac regina eſt, precipue tamen infeliecm hanc ſobolem gignit, In obedientiam, iactantiam, hypochriſim, contentionem, pertinaciam, diſcordiam, curioſitatem. Iam, vt delictum hoc maximum caueatur, Tobiæ ſenrentia vſque obſeruanda eſt; Superbiam,

Gregor. in Moralibus.

Pſal. 18.

Tobiæ 4.

inquit, nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Hinc Apoſtolica illa do-
Ezec. 10. ctrina: Deus ſuperbis reſiſtit, humi
Iacob. 4. libus autem dat gratiam.
1. Pet. 5.

Quid eſt auaritia, & quarum filiarum mater?

AVaritia eſt habendi appetitus inordinatus. Auarus enim recte iudicatur, non ſolum qui rapit, ſed etiam qui concupiſcit aliena, vel cupide ſeruat ſua. Filiæ ſunt
Gregor. huius peſsimæ matris Proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, immiſericordia, ſeu inhumanitas, & cordis duricies. Damnat hoc vitium Apoſtolus,
1. Tim. 6. vbi ſic ait: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria mul-

ta, & inutilia,& nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionē. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. Et Chriſtus ipſe teſtatur: Non poteſtis Deo ſerui re, & Mammonæ. Et iterum: Noli te ſoliciti eſſe in craſtinum. Matt. 6.

Quid eſt Luxuria, qualemq; ſobolem gignit?

LVxuria eſt appetitus inordinatus impuræ, & libidinoſæ voluptatis. Gignit autem ex ſe mentis cæcitatem, inconſiderationem, inconſtantiam, præcipitationem, amorem ſui, odium Dei, deſiderium huius vitæ nimium, mortis horrorem, futuri autem iudicij, ac felicitatis æternæ deſperationem. Aduerſus hoc peccatum nos munit Apoſtolus, cum ita ſcribit. Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo mem Gregor.

bra Chriſti, faciam membra meretricis? Ac rurſus: Omne &c. Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Et alibi: Fornicatio: & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, ſed magis gratiarum actio.

Epheſ. 4.

Quid eſt Inuidia, & quas procreat filias?

INuidia eſt triſtitia de bono alterius, & odium alienæ felicitatis reſpectu ſuperiorum, quia eis non æquatur: & reſpectu inferiorum, ne ſibi æquentur: & reſpectu parium, quia ſibi æquantur, vt Auguſtinus inquit. Filias vero procreat, odium, ſuſurrationem, detractio-

Gregor.

nem, in aduerſis aliorũ rebus exultationẽ, in proſperis afflictionem. Cain Abel germano fratri, & Saul Dauidi deſtinato regi cernitur inuidiſſe. Quod execrandum crimen ſcriptura ita taxat: Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Recte igitur Apoſtolus monet: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Gen. 4. 1. Re. 20. Sapi. 2. Galat. 5.

Quid eſt Gula, & quæ nam illius filiæ?

GVla eſt appetitus inordinatus cibi, & potus. Filias habet ineptam lætitiam, multiloquium, ſcurrilitatem, ſpurcitiem, & ſenſuum ad intellectum hebetudinem. Prohibet hoc vitium Chriſtus, cum ait, Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Nam vt alibi quoque

Gregor. Luc. 21.

ſcriptura teſtatur. Propter crapulam multi obierunt: Qui autem
Eccl. 37. abſtinens eſt, adiiciet vitam. Ad ebrios autem hæc Dei tum indignantis, tum maledicẽtis verba ſpectãt:
Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendã ebrietatem. Vnde Paulus etiam, Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Neque enim ebrioſi regnum Dei conſequentur.

Quid eſt Ira, & quæ ſoboles ex illa naſcitur?

IRa eſt cupiditas puniendi eius, a quo læſum ſe quis arbitratur. Na-
Gregor. ſcuntur ex illa deteſtandæ filiæ, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, atque blaſphemia.
Sed aduerſus hoc animi vitus nos
Ephe. 4. præmunit Apoſtolica medicina, hi-
Coloſſ. 3. ſce verbis; Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſ-

phemia tollatur e vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Et plena grauitatis vox eſt Saluatoris: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Matt. 5.

Quid eſt Acedia, & quas gignit filias?

Acedia eſt remiſſi animi languor ad bene operandum: præſertim vero triſtitia eſt de re ſpirituali. Quæ has gignit filias, Malitiã, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem circa præcepta neceſſaria, mentiſque vagationẽ circa res illicitas. Gregor. Huius peccati graue periculũ ex his Chriſti verbis oſtenditur. Omnis arbor, quæ Matt. 7.

non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Tum alibi: Inutilem ſeruum eijcite in te-
Mar.13. nebras exteriores. Hinc idem ſic alibi: Videte, & vigilate, & orate. Neſcitis enim quando tempus ſit.

Et hactenus quidem hæc, pro inſtituta breuitate, ſatis, vt, qui Chriſtianæ iuſtitiæ ſunt ex animo ſtudioſi, hos præcipuos humani generis morbos, atque execrandas peſtes, quas oſtendimus, non ſolum cognoſcant, & obſeruent; ſed etiam fugiant, ac depellant ex præſcripto diuinæ legis.

DE PECCATIS *alienis.*

Quæ peccata dicuntur aliena?

EA, quæ aliorum quidem manibus, operaque perficiuntur, & interim nobis merito imputãtur, noſtraſq; cõſciẽtias damnãt
coram Deo. Quamobrem de his ac 1. Tim. 5.
cipi poteſt, quod ſcriptura impe- Pſal. 18.
rat: Ne communicaueris peccatis In Trac.
alienis. Et quod orat Propheta Re- Quomo-
gius: Ab occultis meis munda me, do ex A-
Domine, & ab alienis parce ſeruo poſ. ſentẽ
tuo. Eodem refert Baſilius Magnus, tia cũ ope
quod Epheſijs ſcriptum eſt a Pau- ribus in
lo, Nolite communicare operibus fructuoſ.
Infructuoſis tenebrarum, magis non ſit cõ

municandum. Ephe. 5. 2. The. 3. autem redarguite. Tum illud eiuſdem Apoſtoli: Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quã accepiſtis a nobis.

Quot numerantur eiuſmodi aliena peccata?

NOuem, ſicut nouem fere modis committuntur, vt pote Cõſilio, Iuſsione, Conſenſu, Irritatione, Laudatione, ſeu Adulatione, Reticentia culpę alienæ, Conniuentia, vel Indulgentia, Participatione criminis, ac praua Defenſione.

Quando peccatum alienum conſilio perpetratur?

CVm mali ſcilicet conſilij, quod alij ſequuntur, vel ſequi poſſent, ipſi ſumus auctores, & ad-

miniſtri. Exemplo ſit Cayphas, qui conſilio ſuo Senatum Iudaicum in mortem Chriſti concitauit, atque permouit. Contra vero laudatur Ioſeph ab Arimathęa, & vir bonus, iuſtuſque dicitur, quia non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, Pontificum ſcilicet, & Phariſæorum in Chriſti necem impie conſpirantium. Ioan. 11. Luc. 23. Ioan. 11. Matt. 26.

Quando Iuſsio eſt peccatum alienum?

CVm ex decreto, mandato, imperio úe noſtro redit ad proximum iniuria, vel malum quodcunque perpetratur. Sicut Dauid Rex innocenté occidit Vriam, non ſuis quidem, aut ſeruorum manibus, ſed per literas hoc agens, atque demandans, vt in pręlio ille occideretur. Et Pręſes Pilatus mortis Chriſti reus eſt, quòd illum in Iudęo 2. Re. 11. Ioan. 19.

rum gratiam cruci affigendum, & ſi inuitus quodam modo, auctoritate ſic adiudicauit, ac tradidit.

Conſenſus quando peccatum alienum conſtituit?

CVm quod ab aliis fit nequiter, a nobis quaſi ſuffragium accipit,& ſaltem tacite approbatur. Ita peccauit Saulus in Stephani Protomartyris necem conſentiens:peccarunt & Iudæi, ſuis Magiſtratibus, quo Chriſtus perderetur,ſuffragantes,vt idcirco Petrus illis exprobrās dixerit, Auctorem vitæ interfeciſtis. Retinendum eſt igitur Pauli verbum, Non ſolum qui faciunt mala, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.

Irenæus l.4.c. 46. Acto.7. Mat.27. Luc. 23. Acto.4. Acto. 3. Rom. 1.

Quando Irritatione nobis peccatum alienum conflatur?

CVm ſcientes prouocamus aliū ad iram, vindictam, blaſphemiam, crudelitatem, aut conſimilia vitia, ſiue dictis id fiat, ſiue factis, aut quacunque alia ratione: Hinc alienum non eſt, quod vxor Iob, dum patientiſſimo viro petulanter inſultat, quantum in ſe quidem erat, ſuaſit etiam Deum blaſphemare. Contra vero monet Eccleſiaſticus: Abſtine te a lite, & minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, & uir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam. Iob.2. Eccl.18.

Quando per Laudationem, vel Adulationem noſtram pec-cato alieno fœdamur.

CVm aliquem in malefactis, vel de improbitate commendamus, vel, tanquam re bene geſta, calcar addimus male curren-ti, vt ille in prauo inſtituto per-gat. Væ autem, qui conſuunt pul-uillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vni-uerſæ ætatis ad capiendas animas, vt eſt apud Prophetam. In hoc vitium incidunt non nunquam Ec-cleſiaſtici concionatores, ij præ-ſertim, quos Eſaias verbis his no-tat: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Quo-niam enim laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus be nedicitur, exacerbauit Dominum

Ezec. 13.

Eſaiæ. 3.

Pſal. 9.

peccator, vt Regius Propheta teſtatur.

Quando Reticentiæ noſtræ culpa peccatum alienum in nos redundat?

CVm noſtrum ſilentium ſiue ſubdito, ſiue cuiuis alteri affert detrimentum. Exempli cauſa, ſi docendi, monendi, corripiendique fratris, aut populi nobis munus incumbit, & in eo interim, dum prodeſſe poſſumus, non ſine culpa ceſſamus. Vnde per Eſaiam teſtatur Dominus omni Euangelizanti: Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Audi porro periculum in his, qui canes muti latrare non valentes dicuntur: Si dicente me ad impium, dicit Dominus, morte morieris, non annun- Chryſoſt. orat. 2. cōtra Iudæos. Eſai. 58. Ezec. 3.

ciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur a via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Adeo neceſſarium eſt obſeruatu, quod Paulus non ſine graui obteſtatione poſtu-
1 Tim. 4. lat: Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctri-
1. Tim. 5. na. Tum idem alibi, Peccantes, inquit, coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.

Quando noſtra Conniuentia alienis criminibus implicamur?

QVoties id, quod facultate vel auctoritate noſtra emendari indicarique poteſt, & debet, nos tamen impunitum & in peius abire ſinimus. Ita peccant Magiſtratus, cum gladium fruſtra portant, neque,

neque, ſicui. dicuntur, miniſtri Dei Rom. 13.
ſunt, & vindices in iram his, qui agunt ſcelerate, vel ſeditioſe. Eodem referr poteſt, quod Apoſtolus Corinthiis præcipit: Auferte malum ex vobis ipſis: neſcitis quia modi cum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum. Secundo hic peccant Patres, & Matres familias, Heri & Præceptores, dum ſibi concreditos nimia diſsimulatione & indulgentia quadam in educando perdunt, negligentia, ſocordiaque ſua in diſcrimen deduci permittunt. Sic paternæ prorſus indulgentiæ culpa deprauatos legimus filios Heli, qui idcirco immodicę lenitatis ſuæ pœnas graues dedit. Hic etiam addi poteſt peccatum, quod vocari ſolet Omiſsio fraternę correptionis, admonitionis, vel reprehenſionis. Quando quidem Chriſtus quoque ſemel, atque iterum, & tertio corri-

1. Cor. 5.

1. Reg. 4.

Matt. 18.

piendum eſſe fratrem monuit, vt peccantem illum lucrifaceremus. Quanquam alij diſtingunt inter huiuſmodi omiſſionem, & prioré, de qua diximus, conniuentiam, vt duos alieni peccati modos ex hiſce conſtituant.

Quid eſt participatione alienum peccatum contrahere?

ID maxime fit, cum in partem lucri cum furibus, ſiue raptoribus venimus: cum itidem bona iniuſte parta, vel quouis modo aliena nobis vna cum alijs ſcienter vendicamus, aut retinemus: cum inſuper ſpolijs alienis diteſcimus. Huc ſpectare poteſt, quod Pſalmographus
Pſal.49. dixit: Cum furibus ipſis currere, & cum adulteris portionem habere.
Eſai.1. Sicut Eſaias obijcit populo iudaico: Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur

retributiones. Grauius adhuc delinquunt, qui lucrum ſibi ex aliena turpitudine aperte parant, vt Lenones, qui úe latronibus, & notæ turpitudinis, vel factionis hominibus præbere audent hoſpitium, & locũ, quo ſe illi, aut ſua recipiant.

Quomodo alienum peccatum noſtra defenſione contrahimus?

CVm aut malefactoribus patrocinamur, aut doctrinam alterius, quamuis peruerſam, & impiã, tuemur, ac ſpargimus: cum noſtra itidem cura, vel opera, quod contra fas, & æquum inſtituitur, promouere, atque propugnare contendimus malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum dulce, & dulce amarum. Ac rurſus: Væ, qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam Ibidem.

iuſti auſertis ab eo.

Hæc ſatis de peccatis, vt vocan t, alienis, quæ nunc profecto longe,la teque patent,& ſumma quotidie licentia, a magnatibus præſertim, perpetrantur. Adeoque vulgo ea non cauentur, vt plerique peccata non eſſe putent,ac floccipendant,etiam ſi ſuas conſcientias his criminum ſordibus conſpurcent, animaſque condemnent. Poſſunt autem dictæ ſpecies omnes in tria fere genera conijci, breuiterque, vt Magnus Baſilius oſtendit, comprehendi. Quod enim in alieni erroris, vel peccati ſocietatem incidimus, id fit, aut re, & opere:aut voluntate, certo ue animi propoſito tantum, aut ſupina negligentia, ſi quando admonendi, & emendandi officio noſtro alij defraudantur. Sed longe omnium deterrimum peccandi genus eſt, quo delinquitur in Spiritum ſanctum.

Baſili.

Quomodo ex Apoſtoli ſententia cum operibus infructuoſis non ſit cõmunicandum.

DE PECCATIS IN *Spiritum Sanctum.*

Quid eſt peccatum in Spiritum Sanctum?

EST, oblatam Dei munificentiam, & gratiam, quę Spiritui ſancto, ceu fonti bonorum tribui peculiariter ſolet, ex malitia contemptam abiicere. Matt. 12.
Atque hoc eſt peccare inexpiabiliter. Marc. 3.
vt iuxta Chriſti verbum, nec in hoc ipſo, neque in futuro ſæculo talis tantique peccati remiſſio impetretur. August. de verbis Domini.
Hac enim lege nobiſcum agit Deus, vt nec gratiam in terris, neque gloriam in cœlis tribuat alijs, quàm qui peccatum deteſtantur agnitum, & præter id bonum

ſibi proponunt, rectumque eligunt vitæ inſtitutum. Cæterum in hiſce peccatis, quę fiunt in Spiritum ſanctum, abeſt tum peccati deteſtatio, tum boni, quod ſectandum erat, electio; & abijcitur præterea id, quo Spiritus ſanctus pro ſua gratia hominem a peccando ſolet reuocare. Hinc fit, vt eiuſmodi peccatis implicati, nullam Dei gratiam impetrare poſſint. Peccatur enim nō ex humana imbecillitate, vel fragilitate; quod vocant peccare in Patrem, Patriſque potentiam, vt in Petro Apoſtolo Chriſtum ipſum negante cernimus: neque rurſus ex ignorantia, quod eſt peccare, vt appellant, in Filium, Filijque ſapientiam, ſicut Saulo accidit Eccleſiæ perſecutori: ſed, quod longe grauius eſt, peccatur hic ex malignitate, & peruicacia mentis: vt exemplum præbent peruerſiſſimi, & obſtinatiſſimi illi Pharisæi.

August. lib. 83. quęſtio,

Matt. 26.

Actor. 9.
1. Tim. 2.

Chryſo. in Matth.

Quot ſunt peccata in Spiritum ſanctum?

EIuſmodi ſex recenſentur, vt vulgo quidem recepta ſunt, eorum hæc nomina: Præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati: Deſperatio: Agnitæ veritatis impugnatio: Fraternæ charitatis inuidentia: Obſtinatio; & Impœnitentia.

Significantius autem erit, ſi quis ita numeret. I. Diuina miſericordia confidenter abuti. II. De gratia Dei, vel ſalute ſua prorſus deſperare. III. Veritatem Religionis aduerſus ſuam ipſius conſcientiam hoſtiliter oppugnare. IIII. Pertinaci inuidia concitari grauiter ob ſalutis, & virtutum fraternarum ſucceſſum. V. Obfirmato animo in crimine ſcié-

ter manere. VI. Abſque pœnitentiæ propoſito peruerſæ vitæ finem nullum facere.

Quænam Præſumptio facit peccatum in Spiritum Sanctum?

EA, quæ hominem ſola Dei miſericordia confidentem ad peccandum audacem facit, ſepoſita videlicet, ac abiecta omni iuſtitiæ, timoriſque Diuini ratione. Et ſic ſane peccant hodie complures, qui ſola fide in Chriſtum ſibi blandientes, vel in medijs peccatorum ſordibus, vt iumenta computreſcunt, nec ſibi ſolum, ſed aliis itidem polliceri audent ſecuritatem, modo fidant meritis Chriſti, & Dei gratiæ per fidem appræhenſæ, quantumuis interim pœnitentiæ fructus non adhibeantur. Horum vero ſingulis acclamat gen

August. de fide & operibus
Ioel. 1.
2. Pet. 2.
Luc. 23.

tium Doctor in fide, & veritate Paulus: An diuitias inquit, bonitatis Dei,& patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei,qui reddet vnicuique ſecũdum opera eius. Quamobrem idem Paulus alibi ,non ſolam iactare fidem docet, ſed cum timore,ac tremore ſalutem noſtram operari: Fidemque commendat, quæ per Charitatem operatur. Contra hoc enorme peccatum ſic etiam Eccleſiaſticus clamat, inquiens: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt; multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim, & ira ab illo

1. Tim. 2.
Rom. 2.
1. Cor. 13.
Tit. 3.
Rom. 2.
Phil. 2.
Galat. 5.
Eccl. 5.
Auguſt. de pœni. medicina.

cito proximant, & in peccatores ira illius reſpicit.

Quomodo peccatur in Spiritum ſanctum deſperatione?

CVm præſumptioni, de qua dictum eſt, contrarium prorſus vitium acceſſerit, vt omnem ſpem abijciat homo, vel impetrandæ apud Deum veniæ, vel ſalutis æternæ conſequendæ. Hoc modo peccauit deſperando Cain, vt ſua ipſe
Gen.4.
voce teſtatur: Maior eſt iniquitas mea, inquit, quàm vt veniam merear. Peccauit & Iudas Chriſti proditor, cum vitam laqueo ſibi infelix abrupit. Atqui nulla nimis eſt ſera
Matt.27. Actor.1. Luc.23.
homini pœnitentia, vti Latro teſtatur, qui in cruce pœnitens, Chriſti ingentem gratiam, & cœleſtem gloriam eſt conſecutus.

Quando veritatem impugnans peccat in Spiritum ſanctum?

CVm de Fidei, & Religionis negocio agitur, & pro falſitate veritas, non ex ignorantia, ſed malitia ſtudioſe oppugnatur, vt hinc veritatis Catholicæ lædatur ſynceritas. Huic peccato Phariſæi obnoxij erant, quibus vel præcipue videmus curæ fuiſſe tam maligne, quàm falſo blaſphemare Chriſtum, inſectari doctrinam Euangelij, teſtimonium Apoſtolorum ſupprimere, idque contra ſuam ipſorum conſcientiam. His non ſunt abſimiles; qui a Propheta dicuntur ſedentes in cathedra peſtilentiæ, a Petro autem Magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis, a Paulo demum hęretici, homines corrupti mēte, reprobi circa fidē, attēdentes ſpiritibus erroris, ſubuerſi,

Matt. 12. 15. 21. 22.

Actor. 4. & 5. & 12.

Pſal. 1.

2. Pet. 2.

Tit. 3.

2. Tim. 3.

Leo 24. q. 3. can. Quid au-

& ſuorũ ipſorũ iudicio condmnati.

Quomodo Inuidentia fraternę gratiæ peccatum eſt in Spiritum Sanctum?

August. de ſerm. Domini in monte

QVando dolemus, ac triſtamur grauiter de ſplendore, augumento úe virtutum, donorumq́ue Dei, quibus frater eſt conſpicuus. Quod crimen non tam hominis videtur eſſe proprium, quàm Satanæ, qui Dei gratiam in homine tũ augeri, tum conſeruari fert impatientiſſime. Satanæ filij ex Iudæis fuere, qui naſcentem Euangelij gratiam omnino gentibus inuidebant, vt eſt in Actis Apoſtolicis.

Sapien. 2.

Actor. 11.

Quæ obſtinatio facit peccatum in Spiritum ſanctum?

EA nimirum, quæ ob firmatum plane animam adfert aduerſus

bene mouentem, vt nullis quidem rationibus ab inſtituto damnabili ſe deflecti quis ſinat. Huius peccati magnum præbet exemplum Rex Pharao, qui toties monitus a Moſe, & afflictus ſubinde flagellis Dei ſęuiſſimis, tamen in propoſito tyrannico perſtitit, & perijt obſtinatus. Nota eſt & Iudæorum inuicta pertinacia, quos ſuis veluti coloribus depingens S. Stephanus, Dura ceruice, inquit, & incircuncisi cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Nec ſunt diſſimiles hodie, qui nouis addicti Sectis, ne audire quidem poſſunt Catholice docentem, quaſi aſpidum inſtar occluſis contra dulcem melodiam, ideſt, ſanam Eccleſiæ doctrinam auribus, dicere videantur, Recede a nobis, ſcientiã viarũ tuarũ nolumus. Quod nihil aliud eſt, quàm, vt Paulus loquitur, ſecundũ duritiam, & impęnitens cor theſau-

Exod. 7. & deinceps. Exod. 14. & 34. Hieron. 5. Actor. 7.

24. q. 1. C. violatores

Pſal. 57.

Iob. 21.

Rom. 2.

Rom. 2. rizate ſibi iram in die iræ, & reue-
lationis iuſti iudicij Dei,

Quando peccatum Impœnitentiæ committitur?

Augu. de fide ad Petrum. Et de verbis domini in Mat. Pſal. 33. Eſai. 28.

CVm homo peccatorum ſuorũ, quæ ſalutari pœnitentia expianda forent, finem, modumq́ue nullũ facit, ac proponit inſuper ſe nolle vnquam pœnitere. Talium certe qui deploratæ peccatores ſunt, ac manere volunt, mors peſſima eſt, cum illi ſi non verbis, at re ipſa dicere videantur: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.

Ephe. 4. 1. Theſ. 5. Pſal. 93.

Hæc dicta ſint hactenus de peccatis in Spiritum ſanctum, grauiſſimis illis quidem, & quæ aut nunquam, aut ægre admodum a Deo homini remittuntur. Quapropter aduerſus ea ſæpe nos ipſos munire, & alios confirmare debemus, vt

obſeruetur illud: Nolite contriſtare nolite extinguere Spiritum Dei. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Cor enim durũ habebit male in nouiſsimo. Nũc porro ad peccata, quę in cœlum clamantia dici ſolent, quæq; non parum enormia ſunt, accedamus.

Hebr. 3.
Eccl. 3.

DE PECCATIS IN *cœlum clamantibus*.

Quæ dicuntur pęccata in cœlum clamantia?

EA, quæ prę cęteris inſignem & manifeſtã improbitatẽ habere noſcũtur, diuinãq; iram, & vltionem inſigniter accerſũt

August. in Enchiridio, & libro Annot. in Iob.

ijs, a quibus cómittuntur. Eiuſcemodi quattuor e Scriptura numerantur, Homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, Oppreſſio pauperum, & Merces operariorum defraudata.

Quomodo Scriptura vindicari docet homicidium voluntarium?

Gen. 4.

GRauiter ſane, quemadmodum hiſce verbis Deus oſtendit, quibus Cain primum increpat homicidam: Quid feciſti? inquit, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram. Et alibi vox diuina teſtatur: Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illus. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Cócinit Pſaltes Regius: Viri ſanguinum non dimidiab unt dies ſuos.

De pœna homicidij Canon. vi de diſt. 50. Gen. 9.

Pſal. 54.

Quid

Quid vero de Sodomitico peccato, eiuſque punitione ſcriptum extat?

Homines Sodomitæ, inquit Scriptura, peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Ac iterum: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Vnde ad Loth iuſtum Angeli, Delebimus locum iſtum, inquiũt, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem a Domino de cœlo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem. Neque tacet Scriptura cauſas, quæ ad hoc nefandum peccatum Sodomitas impulerunt, & alios itidẽ permouere poſſunt. Sic enim legi-

Gen. 13.
Gen. 18.
Auguſt. lib. 3. Confeſſion.
Gen. 19.
Ibidem.
Vide Canones. 32. q. 7.

Ezech. 16. mus apud Ezechielem: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, Superbia, ſaturitas panis, & abundantia, & ocium ipſius, & filiarum eius: & manum egeno, & pauperi non porrigebant.

Quid legimus in ſacris de pauperum oppreſſione?

Exod. 22. ADuenam non contriſtabis, dicit Dominus, neque affliges eum. aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Aegypti. Viduæ, & pupillo non nocebitis: ſi lęſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamoré eorum, & indignabitur furor meus percutiamq́ue vos gladio: & erunt vxores veſtrę viduę, & filij veſtri pupilli. Quapropter Aegyptij tot plagis attriti, & cum ſuo Rege, ingentiq; tyrano. Pharaone ſubmerſi demum fuere, videlicet ob ſuam in Iſraelitas pluſquam Barbaricam

Exo. 7. 8. 8 10. & 14.

immanitatem. Vidi, inquit Dominus, aſflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum. Hinc apud Eſaiam quoque interminatur Dominus: Væ, qui conducunt leges iniquas: & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Exo. 1. Exo. 3. Eſai. 10.

Quid poſtremo Scriptura docet de mercede operarijs retenta, vel imminuta?

APud Iacobum Apoſtolum legimus, quàm is grauiter diuitibus exprobret crudelem tena- Iacob. 5.

citatem, & ſolitam erga operarios iniquitatem. Ecce merces, inquit, operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit. Nec multo aliter Eccleſiaſticus, Panis egentium, ait, vita pauperis eſt; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panē, quaſi qui occidit proximum ſuū. Qui fundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. Quin etiam Lex Diuina ſic præcipit: Non negabis mercedem indigētis, & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddes ei pręcium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

Eccl. 34.

Deut. 24.

Quo referenda eſt omnis hæc de peccatis tractatio, & quis illius vſus?

HAec tractatio ad priorem partē Chriſtianæ Iuſtitiæ ſpectat. Vſus autem totius doctrinæ, ac fructus eſt ea, quæ præcipue mala, Deo maxime contraria, nobiſque perniciosiſsima ſunt, rite diſcernere, diſcreta prorſus cauere, & ſi quid horum admiſſum ſit, ſedulo expiare. Hinc etiam diſcimus, quo modo ſapiens a ſtulto, iuſtus ab impio differat, ſicuti Salomonis illa verba declarant: Sapiens timet, & declinat a malo: Stultus tranſilit, & confidit. Atque rurſus idem, Iuſtorum ſemita, inquit, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectam diem: Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Nec alienum illud eſt: Pecca-

Pro. 14.

Prou. 4.

Pro. 18.

cat, cum in profundum venerit, contemnit. Ea vero in primis contemnit, quæ Chriſtiana iuſtitia ad vitiorum obſeruationem, ſeu differentiam, deuitationem, & expiationem poſtulat.

Quibus vero modis peccata expiantur?

Cyrillus in Leuiticum, & Ambr. lib. 2 de peni. I. Chryſoſt. cont. 4. de Lazaro. & Augu. lib. 2. contra Creſconiũ

MVltos certe huiuſmodi modos, ſicuti diuerſis morbis diuerſa remedia conueniunt, ſacra Scriptura nobis in Eccleſia proponit: Principem vero locum tenet Pœnitentiæ ſacramentum, quo neglecto, fruſtra de reliquis lethalium peccatorum remedijs adhibendis agimus. Hoc enim vt præſens, ita neceſſarium pharmacum Chriſtus, animarum medicus, inſtituit, & contra omnem peccati lepram valiturum nobis commendauit, quando dixit Sacerdotibus:

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ioan.20.

Secundo purgantur, & expiantur eleemoſyna: quia ſcriptum eſt: II. Tob.4.
Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tum alibi: Daniel.4.
Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.

Tertio remittuntnr peccata, dum læſi fratri offenſam condonamus, dicente Domino: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cœleſtis delicta veſtra. III. Mat.6.18

Quarto idem ſit, cum peccantem fratrem lucrifacimus, ſicuti legitur: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. IIII. Iacob.5.

Quinto huc pertinet abundantia ſinceræ charitatis, ob quam V.

de Magdalena dicitur: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas enim operit multitudinem peccatorum.

Lucę.7. Pro. 10. 1.Pet.4.

VI. Sexto ad idem valet contriti cordis ſacrificium, quod nunquam deſpicit Deus. Reſpicit enim in orationem humilium, & non ſpernit preces eorum: ſicut ſcriptum eſt de Niniuitis: Vidit Deus opera eorũ, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiã, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

Pſal.50. Pſal. 101. Ionæ 3. Chryſo. in 2. epiſt. Cor.c.4.

His, aliiſque modis, & officiis veræ pietatis comparamus, atque præſtamus in Chriſto Ieſu quod Apoſtolus æquiſſime admonet: Has habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationẽ in timore Dei. Quod etiam haud obſcure explicans Auguſtinus, & Scripturæ te-

1.Cor.7.

ſtimonijs confirmans, dixit: Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de ijs, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Alioquin quiſquis de peccatis lethalibus in ſe aliqua dominari cognouerit, vt idem Auguſtinus eſt author niſi digne ſe emendauerit, & ſi habuerit ſpatium, longo tempore pœnitentiã egerit, & largas eleemoſynas erogauerit, & a peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo agit Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine vllo remedio cruciabit: Non enim capitalia poſt hanc vitam, ſed minuta peccata purgantur, expianturque.

Lib. de pœnitentię medicina.
Et in Enchiridio.
Et Cypr. de lapſis.
Ser. 41. de Sanctis.

1. Cor. 3.
Orig. in Leuitic.
Chryſ. homel. 69. ad popul. Antioch.

Quid vero de minutis peccatis eſt ſentiendum?

Augu.in Pſal. 129. & Trac. 12.in Ioã. Iacob. 3.

ID ſcilicet, quod eiuſmodi leuiora, vti mentis euagatio, verbum ocioſum, riſus immoderatus, & cõſimilia, quæ quotidiana, ſeu venialia peccata dicuntur, & ſine quibus hæc vita non ducitur, (in multis enim offendimus omnes,) & ſi lethalia non ſunt, & in ſpeciem minuta videntur, tamen haud quaquã ſunt contemnenda. Si quidem Deum ipſum offendunt, contriſtãt Spiritum ſanctum, obfuſcant conſcientiam, Charitatis feruorem imminuunt, virtutumq́ue profectum remorantur, & ad grauiora ſæpe vitia periculaq́ue pertrahunt. Vnde ſcriptum eſt: Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Ac rurſum: Qui amat periculum, peribit in illo. Cauendæ ſunt igitur, quantum

Hier. ad Celantiã. & Chriſ. in c. 1. ad Galas.

Pro. 19. Eccl. 3. Apr. 21. Auguſt.

licet, hæ labes, & ſordes animæ: quoniam vt legimus, non intrabit in cœleſtem Hieruſalem aliquid coinquinatum. Ac niſi in hac vita illæ diluantur, etiam poſt mortem hominē grauant, cũ ne ſine pœnis quidem acerbis purgatorij ignis expientur. Qui quidem ignis, et ſi perpetuus non ſit, tamen, ſi Auguſtino credimus, grauior eſt, quàm quidquid homo in hac vita poteſt perpeti.

ſer. 41. dē ſanctis. & C. Medicina de pœ. diſt. 1. In Pſal. 37. Et lí. de vera, & falſa pœniten.

Quibus autem remedijs peccata leuiora purgantur?

VT eíuſcemodi animæ ſordes in hac vita diluantur, Eccleſia vetus, remedia iſthæc agnouit, & in vſu habuit humilem ſui accuſationem, Dominicam precationem, pectorís tunſionem, & alias id genus pias in Deum, ac etíam erga proximũ exercitationes, corporiſq; affli

Auguſt. Epi. 108. Et in Enchiridio. Et in Ioannem Trac. 12.

ctiones ſpõte, ac religioſe ſuſceptas. Quæ quidem remedia eo lubentius,ac ſtudioſius amplectuntur ſapientes, quo rectius norunt, & diligentius expendunt, quod metuendus ille Iudex affirmat: Dico vobis, quoniam omne verbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: Vt hinc Iob, vir alioquin iuſtus, & innocens, dixerit: Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti. Et Apoſtolus Paulus: Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Quod ſi nos ipſos dijudicaremus,vt idẽ admonet, non vtiq; iudicaremur. Beatus igitur homo,qui ſemper eſt pauidus

Matt. 12.
Iob. 9.
Hebr. 10.
1. Cor. 11.
Prour. 28.

An ne ſatis eſt a peccatis abſtinere?

Hieron. ad Celantiam

IVſtitia quidem Chriſtiana,de qua hucuſque diximus, duas partes proponit, & velut æque neceſſarias

nobis cõmendat hiſce verbis: Declina a malo, & fac bonum: Sicut & Paulus docet: Odientes malum, & adhærentes bono. Non ſufficit igitur, quod Auguſtinus perſpicue dixit, abſtinere a malo, niſi fiat quod bonum eſt: & parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe. Quapropter abſoluta vtcunq; Iuſtitiæ priore parte, quæ mala prohibet conſequens eſt, vt de altera porro, quæ in bonis conſectandis eſt poſita, dicere pergamus.

Pſal. 33. Rom. 12. In ſententijs Proſperi.

DE TRIPLICI GENEre *bonorum operum*.

Iuſtitia Chriſtiana circa quæ bona verſatur.

HAEC Iuſtitia tam late patet, vt omnia bona, quæ honeſte, iuſte, ac pie fiunt, in ſe contineat, nobiſq; expetenda, & conſectanda proponat.
Coloſſ. 1. Vnde ita fideles Apoſtolus commonefacit: Ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, prouidentes bona
Rom. 12. non tantū coram Deo, ſed etiā corā omnibus hominibus. Hic.n. noſtræ vocationis, & Chriſtianę Iuſtitię per Chriſtum partæ verus eſt vſus, ac fructus proprius, eodem Apoſtolo

teſte, videlicet, Vt abnegantes impietatem, & ſęcularia deſideria, ſobrie,& iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo. In eundem ſenſum nobis proponitur Euangelicum illud: Vt ſine timore,de manu inimicorum noſtrorũ liberati, ſeruiamus illi, In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Nam idcirco redemit nos Chriſtus ab omni iniquitate, vt mundaret ſibi populum acceptabilem; ſectatorem bonorum operum. Ipſius enim Dei ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis: quę pręparauit Deus, vt in illis ambulemus. Ita conſtanter Paulus ſcribit, omneſque, admonet de obſeruanda, & colenda ſemper Iuſtitia Chriſtiana. Quid multis? Filioli, inquit Ioannes, nemo uos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt: qui facit peccatum ex Diabolo eſt. Et Iacobus:

Tim. 2.

Luc. 1.

Tit. 2.

Eph. 2.

1. Ioan. 3.

Iacob. 2.

Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt.

Quem fructum pariunt Opera Iuſtitiæ Chriſtianæ?

1. Tim. 4. PRæclarum ſane, atque multiplicem, cum in hac, tum in futura vita.

1. Primum quidem hęc opera ex viua fide, id eſt, per charitatem operante perfecta, nō modo ſigna ſunt Chriſtianæ vocationis, ſed eandem nobis quoque confirmant, certáq; faciunt. Quamobrem Petrus Apoſtolus, qui ad opera bona nuſquam non cohortatur, hoc etiam adiecit:
2. Pet. 1. Fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hęc enim facientes, non peccabitis aliquando.

Secundo gratiam credentibus au- II.
gent, atque ſanctificationem perfi- 2. Cor. 7.
ciunt, Apoſtolo teſte: vt hinc etiam Iacob. 2.
Iacobus affirmet: quòd Fides, quæ
operibus cooperatur, ex ijſdē quo-
que conſummetur.

Tertio, fiduciam bonę conſcien- III.
tię pariunt magiſque ad orandum
& quælibet a Deo impetrandum
animant. Scriptum eſt enim: Fidu- Tob. 4.
cia magna erit coram ſummo Deo
eleemoſyna omnibus facientibus
eam. Et rurſus: Chariſſimi, ſi cor
noſtrum non reprehenderit nos,
fiduciam habemus ad Deum: & 1. Ioan. 3.
quidquid petierimus, accipiemus
ab eo, quoniam mandata eius cu-
ſtodimus, & ea, quæ ſunt placita
corā eo, facimus. Exemplum extat
in Ezechia Rege, qui bona conſcien-
tia fretus, ac Dei voce in hoc ipſo Eſai. 38.
comprobatus dixit: Obſecro Do-
mine, memento quæſo, quomodo
ambulauerim coram te in veritate,

& in corde perfecto, & quod bonū eſt in oculis tuis fecerim.

IIII. Demum id efficiunt, vt laborantes in vinea Chriſti, denarium diur-
Matt. 20. num accipiamus, hoc eſt, promiſ-
& Greg. in ſam æternæ vitæ mercedem, iuſti-
Hom. 2. tiæque coronam, quam in Eccleſia
Tim. 4. Dei mandata ſeruantes, in Chriſto
Matt. 19. promeremur. Ait igitur Dominus: Voca operarios, & redde illis
Matt. 20. mercedem. Ait Dauid: Seruus tuus
Pſal. 18. cuſtodit ea, Diuina ſcilicet præcepta, in cuſtodiendis illis retributio
1. Tim. 4. multa. Ait & Paulus: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum
Matt. 19. eius. Ait denique & ipſe Chriſtus:
Matt. 6. Si vis ad vitam ingredi, ſerua man-
Luc. 9. data. Qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in

regnum cęlorum. Ex quibus fit perſpicuum, quanti noſtra omnium referat Diuinam hanc obſeruare vocem: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc. Ecce uenio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Bonum igitur faciétes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Apoſt. 21. Natt. 16.

Quot ſunt genera bonorum operum, in quibus iuſtitia Chriſtiana cernitur, & exercetur?

EIuſmodi ſunt triplicia, videlicet, Oratio, Ieiunium, & Eleemoſyna, ſicuti ex literis ſacris accipimus. Nam reliqua fere benefacta, quæ ex fide viua proficiſcuntur, & Iuſtitiam Chriſtianam commédát, Petrus Chryſ.

Iob. 12. augent, atque conſumant; ad hoſce tres fontes facile referuntur. Hinc il la pręclara vox Angeli Raphaelis, Bona eſt Oratio cum Ieiunio, & Eleemoſyna magis quàm theſauros auri recondere. Auguſtinus vero di

In Pſal. 42. lucide dixit: Hęc iuſtitia hominis in hac vita, Ieiunium, Eleemoſyna,

Matt. 6. Oratio. De quibus nos etiam Euangelium expreſse docet, additq́; promiſſiones de parata cœleſti mercede ijs, qui in Eccleſia ſincere, circa hypocriſin, & ex fide ieiunant, orant, ac eleemoſynam tribuunt. Hinc fidelis illa ſponſio toties repetita: Pa

Ibidem. ter tuus qui videt in abſcondito, red

Matt. 5. det tibi. Et hęc ipſa ſunt, in quibus Chriſtus, vt bene, beateq́ue viuamus, abundare vult noſtram iuſtitiam, & ita lucere coram hominibus, vt

Mar. 13. videant opera noſtra bona, & glo-

& 25. rificent Patrem. Propter hęc, e cha-

Ioan. 5. ritate pręſtita, iuſti in regnum ad-

2. Cor. 5. ſciſcentur ęternum: ob eadem ve-

ro neglecta, iniuſti in gehennam ignis pręcipitabuntur.

Quid eſt Ieiunium?

NOn ſimplex huius nominis eſt acceptio. Magnum, & generale Ieiunium Auguſtinus vocat, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſęculi. Deinde Philoſophicum, vt quidam vocant, ieiūnium eſt parſimonia illa cibi, ac potus moraliſque ſobrietas, qua temperate viuitur etiam ab Ethnicis ſecundum rectam rationem. Tertio Eccleſiaſticum eſt Ieiunium, vtpote cum iuxta certum Eccleſię morē, atque pręſcriptum, certis diebus, & carnium eſum nobis ſubtrahimus, & vnica duntaxat refectione contenti ſumus. Cuiuſcemodi Ieiunium pie, & Chriſtiane ſuſcipitur ad carnem edomandam, ſpirituiq; ſubijciendam; ad fructus pœni-

In Ioānē. Et de conſec. diſtin. 5. c. Ieiunium &c. Nihil Synod. Mogunt. c. 35 Et Bracar. 2. can. 9. Et cant. diſt. 76. & de conſer. diſ. 5. Ambro. c. Sexto diſtin. 39.

tentiæ diguos præſtandos, ad obedientiam exercendam, ac demum ad quamlibet Dei gratiam conſequendam.

Quid vero de ijs reſpondendum eſt, qui legem Eccleſiaſtici Ieiunij conuellunt, atque contemnunt?

1. Tim. 4. Coloſſ. 2. Et cōcill. Gangren. & Tol. 1. & Bracharen. 1. Contra Fauſtum Manich. lib. 30. Et Theodoretus. In epito-

PRimum admonendi ſunt iſti, ne falſo Catholicis affingant, quod Apoſtolus deteſtatur, & Eccleſia ſemper damnauit in Iudæis, Manichæis & Priſcillianiſtis: quòd videlicet aut ſecundum legem Moſaicam, aut ex ſuperſtitione a cibis quibuſdam abſtineant. Catholici enim, ſicut Auguſtinus Fauſto Manichæo reſpondet, quod a carnibus abſtinent, edomandi corporis cauſa id faciunt. propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd carnes eſſe

immundas credant. Nec ſolum a carnibus, verum a quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicuti per Quadrageſimam ferme omnes. Sic Auguſtinus, atque ante illum idipſum etiam Epiphanius docet: vbi confutat Arianam hæreſim, quæ ſtata Eccleſiæ Ieiunia cuique libera eſſe vult, atque ad ea neminem obligari. Quod vero magni momenti, & certi meriti ſit, eiuſmodi ieiunia reuerenter amplecti, ſeduloque obſeruare, tam aperte probat Hieronymus contra Iouinianum, vt a nullo iure poſſit addubitari. Nec forte hinc alienum eſt, quod Paulus aſſeuerat: Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum. Quibus addenda ſunt, quæ ſupra docuimus de præceptis Eccleſiæ obſeruandis, idque non ſolum ad ſcandalum euitandum, &

me diuin. decretorum.

Et Amb. lib. de Helia, & ieiun. Tum Cypr. de ieiun. & tentati. Hieron. lib. 2.

Rom. 14. Auguſti. c. Illa. diſ. 12.

ad diſciplinam publicam retinendam, neque modo propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, vt Apoſtolus dixit. Conſtat autem,

Rom. 13. ſicut omnium ætatum ſcriptores

Egnatius comprobant, Eccleſiæ diſcipli-

Theoph. nam, conſuetudinem, traditionem,

Maximus ſanctionem hanc, & eſſe conſtan-

Hieron. tem, & inde ab initio fuiſſe, vt die-

Theod. bus quibuſdam, preſerim Qua-

Epipha. drageſimę, Ieiunium hoc Eccleſia-

De con- ſticum obſeruaretur. Ita docent

ſec.diſt.5. Canones Apoſtolorum, & Sacroſan-

Can.19. ctę Synodi. Gãgrenſis quidem Ana

Et Mogũt temate eos ferit, qui communia to-

c.35. Syn. tius Eccleſię Ieiunia contemnunt:

Toletan. Toletana vero communione eos

8.cap.8. priuari iubet, qui ſine ineuitabili ne ceſſitate, & euidenti languore carnibus in Quadrageſima veſcuntur. Proinde non Eccleſiæ modo ma-

Luc. 10. tri, ſed etiam Chriſto in Eccleſia

Rum. 13. ſponſa loquenti, atque præcipienti

Acto.13. reſiſtunt, ſibiq; certam damnatio-

nem acquirunt, qui ſanctum, & ſalutiferum, & ab Eccleſia nobis vſq; commendatum ieiuniorum inſtitutum abrogant repudiantúe. Hieron. c. Sint tibi de cõ. diſtin. 5.

Quid de Ieiunio ſacra Scriptura tradit?

DIuina vox eſt, quæ per Ioelem ad peccatores clamat: Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, fletu, & planctu. Nec multo poſt, Canite tuba in Syon, inquit, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, vel ſicut alii legunt: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem. Vt hinc diſcamus, Ieiunium ſanctificari cęteris bonis operibus, & ſanctificatum curationi proficere peccatorũ, vt Hieronymus interpretatur. Nã vt idem e ſacris literis colligit, per Ieiunia Daniel vir deſideriorum futura cognouit: & Niniuitæ iram

Ioel. 2. Ibidem. Hiero. in Ioelem. Ibidem, & lib. 2. in Iouinia.

Dani. 9. placauerunt Dei, & Elias, ac Moſes
Ioan. 3. quadraginta dierum eſurie, Dei fa-
3.Re.19. miliaritate ſaturati ſunt, & ipſe do-
Exo.24. minus totidem diebus in ſolitudine
Deut. 9. ieiunauit, vt nobis ſolennes ieiunio
Matt. & rum dies relinqueret: &, acriora dę
Luc.4. monia, docuit, non, niſi oratione, &
Mat.17. ieiunijs, poſſe ſuperari: & Apoſto-
2. Cor. 6. lus frequenter ſe ieiunare dicit, & in
& 11. pſalmis pœnitens loquitur: Mandu
Pſal.101. cabam ſicut cinerem panem meum
Pſal.34. & potum meum cum fletu miſce-
Mat.9. bam. Et: Cum mihi moleſti eſ-
Luc. 5. ſent, induebar cilicio, humiliabã
Acto. 13. in ieiunio animam meam. Demũ
quid eo manifeſtius, quàm quod
Chriſtus affirmat fore, vt cum ip-
ſe ſponſus diſcipulis ſuis maxime
dilectus ablatus ſit, tunc illos licet
Spiritu ſancto plenos, ieiunaturos
2.Cor.6. eſſe? Itaque Paulus ad fideles cla-
mat: Exhibeamus noſmetipſos, ſi-
Galat. 5. cut Dei miniſtros, in multa pa-
tientia in vigilijs, in ieiunijs, in ca-

ſtitate. Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.

Quid eſt Oratio?

EST pius noſtræ mentis in Deũ affectus, quo petuntur fideliter, quęcunque ſunt nobis, aut alijs ſalutaria. Modum orandi, & formulam ſingularem Chriſtus pręſcripſit Matthæi VI. ſicuti ſupra declarauimus. Nullum eſt bonum opus, quod quidem a pluribus, & ſæpius, & diligentius, magiſque neceſſario in hac vita Chriſtiana ſit exercendum. Vere dictum illud: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Item: oportet ſemper orare.

Ex Auguſti. & Damaſc.

Eccl. 35.

Cur in orando ſeduli, & aſſidui eſſe debemus?

Vide Augu. epiſt. 121.& Chryſoſ. de orando Deum

QVoniam Oratio proprium, & neceſſarium eſt exercitium fidei, habetque nõ modo ſerium pręceptum in Diuinis literis paſſim, ſed etim Dei promiſſionem frequẽtem, plenamque conſolationis, atque ſuauitatis. Dico vobis, inquit ipſa Veritas, Chriſtus: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et rurſum: Ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quęrite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Atque iterum: Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe? Talibus quidem dictis,

Mar. 11.

Luc. 11. Matt. 7.

vt recte colligit Chryſoſtomus, ac tali ſpe prouocauit nos ad orandũ vniuerſorum Dominus. Nos vero decet obtemperantes Deo, ſemper omnem vitam in laudibus Dei, precibusque tranſigere, maiore ſtudio curam agentes diuini cultus, quàm vitæ noſtræ. Sic enim contigerit ſemper viuere vitam homine dignam. Hæc ille. Lib. 1. orando Deum.

Quibus exemplis vim Orationis, & fructum colligemus?

IAcobus Apoſtolus, vt orationis virtutem explicaret exemplo, ita ſcripſit: Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. Pluribus exẽplis Auguſtinus rem Iacob. 5. 3. Re. 18. Exo. 17. 1. Reg. 7.

eandem comprobat: Orante Moſe, & Samuele vincuntur a Iudæis hoſtes Amalechitæ, atque Philiſtei. Orans Hieremias confortatur in carcere. Orans Daniel inter Leo-
Iere. 32. nes exultat. Orantes tres pueri in
Daniel.6. fornace tripudiant. Orans de cru-
Dani. 3. ce latro inuenit paradiſum. Suſan-
Luc. 23. na per orationem a ſenibus falſo
Dan. 13. accuſantibus defenditur. Stepha-
Acto. 7. nus orans in cœlũ ſuſcipitur, & in-
Hiero. cõ ter lapidantes pro Saulo exauditur.
tra Vigi- Quibus exemplis non modo fru-
lantium. ctus Orationis oſtẽditur, ſed etiam precandi ſtudium, ac ſedulitas nobis commendatur. Quare Scriptura quoque Apoſtolica cohortatur: Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Et rurſus: Orate pro inuicem vt ſaluemini:
1.Theſ. 5. Multum enim valet deprecatio iu-
Iacob. 5. ſti aſſidua. Item: Hęc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia
1.Ioan. 5. quodcunque petierimus ſecundum

voluntatem eius, audit nos. Præterea: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita.

Quid eſt Eleemoſyna?

EST beneficium, ſeu munus, quo alterius miſeriæ ex noſtro commiſerationis affectu ſubuenitur. Quo ſpectat, id quod apud Thobiam Raphael Angelus teſtatur: Bona eſt Oratio cum Ieiunio, & Eleemoſyna: vt intelligamus, ſicut Cyprianus admonet orationes noſtras, ac Ieiunia minus poſſe, niſi eleemoſynis adiuuentur. Bona miſericordia, inquit Ambroſius, quę & ipſa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Chriſtianam animã, quã miſericordia. Sic ille. Eſtote ergo miſericordes, ſicut & pater

Tob. 12.

Serm. 1. de eleemoſy.

Lib 1. Officiorum.

Lucę. 6.

veſter miſericors eſt, ait Saluator
Actor.10. clementiſſimus, qui pertranſijt bene faciendo,& ſanando omnes oppreſſos a Diabolo.

Quo pacto Scriptura nobis commendat Eleemoſynam?

MVltis quidem & apertis pręceptis, promiſſionibus,& exemplis, Cyprianus docet, in Euangelio nihil pręcipi frequentius, quàm vt inſiſtamus eleemoſynis dandis: nec terrenis poſſeſſionibus incumbamus, ſed cœleſtes theſauros potius recondamus. Hinc illę Chriſti ſententiæ: Quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda
Luc.11. ſunt vobis. Vendite, quę poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcũt, theſaurum nõ deficientem in cęlis. Atque alibi: Facite vobis amicos
Luc.12. de Mammona iniquitatis, vt cum

deſeceritis

deſeceritis, recipiant vos in æterna Luc. 16.
tabernacula. Breuiter: Date,& dabi
tur vobis. Proinde Daniel Prophe- Dani. 5.
ta impio Regi conſulit:Peccata tua
eleemoſynis redime, & iniquitates
tuas miſericordijs pauperum. Tũ Eccl. 3.
alibi legitur: Ignem ardentem ex
tinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit
peccatis. Neque hominis vero, ſed Tob. 12.
Angeli vox ea fuit: Eleemoſyna a
morte liberat, & ipſa eſt, quæ pur-
gat peccata, & facit inuenire miſe-
ricordiam,& vitam æternam. Quin
& Chriſtus ipſe pronunciat: Qui-
cunque potum dederit vni ex mini Matt. 10.
mis iſtis calicem aquæ frigidæ, tan-
tum in nomine diſcipuli, amen di-
co vobis, non perdet mercedem
ſuam. Beati igitur miſericordes, Matt. 5.
quoniam ipſi miſericordiam con-
ſequentur. E contrario autem, vt
Iacobus affirmat: Iudicium ſine mi Iacob. 2.
ſericordia illi, qui non facit miſe-
ricordiam.

Quibus exemplis eleemoſynæ virtus, & fructus declaratur?

Gen.18. & 19. Heb.13. IN ſacris quidē literis Abraham, & Loth ita commendantur, vt propter hoſpitalitatem & Deo placuiſſe, & Angelos hoſpitio excepiſſe dicantur. Thobię, & Centurionis eleemoſynæ tantum valuerunt, vt
Tob.12. Actor.10. in memoriam aſcenderint in conſpectu Dei, & non ſolum teſtes, ſed etiam collaudatores habuerint ſanctos Angelos. Zachæus Chriſti ver-
Luc.19. bis permotus,& ex principe Publicanorum, ſpeculum miſericordiæ factus, dimidium bonorum dat pauperibus. Tabitha,quæ & Dorcas vocatur,vt plena operibus
Actor.9. bonis, & eleemoſynis, quas viduis præſertim faciebat,a Luca celebratur.

DE OPERIBVS *miſericordiæ.*

Quid eſt miſericordia?

EST, ſicut Auguſtinus affirmat, animo condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio. Quod miſericordiæ nomen pro eleemoſyna dici, & accipi perſæpe ſolet. Omnis miſericordia, teſte diuina ſcriptura, faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum. Vnde & Chryſoſtomus, Miſericordia eſt ſalutis præſidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorũ; hęc eſt, quę iuſtos probat,

Eccl. 16.

Chryſo. in Matth.

In Epiſt. 1. ad Timot. c. 5.

ſanctos roborat, Dei cultores oſtentat. Quin etiam, ſi Ambroſio credimus, Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia, & pietate eſt.

Sunt ne vnius generis miſericordiæ opera?

Auguſt. lib. 1. de moribus eccleſiæ. Cathol.

DVplicis ea generis eſſe inueniuntur: cum alia ſint corporalia, alia ſpiritualia. Corporalia quidem dicta, quoniam ad corporalẽ miſeriam proximi ſubleuandam exercentur: Spiritualia vero, quòd in his ſaluti proximi ſpiritualiter bene conſulimus, atq; operam damus. Huius multiplicis miſericordiæ clarum præbet exemplum Iob benigniſſimus, qui de ſeipſo teſtatur: Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Oculus fui cœco, & pes claudo: pater erã

Iob. 29. & ibidem Greg.

pauperum, & cauſam, quam neſcie bam, diligentiſſime inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dẽtibus illius auferebã prædam. Itẽ, Foris non manſit peregrinus, oſtiũ meum viatori patuit.

Quot ſunt opera miſericordiæ tum corporalia, tum ſpiritualia?

SEptem in utroque genere numẽrantur. Ac primum quidem corporalia hæc ſunt: Eſurientes paſcere potum dare ſitientibus; operire nudos; captiuos redimere; ægrotos inuiſere; hoſpitio peregrinos ſuſcipere; mortuos ſepelire: Spiritualia vero hæc: Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recte conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mœſtos; ferre patienter iniurias; offenſam remittere. Quę humanæ pieta-

Vide Canones diſtin. 45. & 86.

tis officia, præſertim hominibus chriſtianis, tam aperta ſunt, vt lõga tractatione neutiquam egeant.

Quomodo iſthæc ſcripturis oſtenduntur?

Eſai. 58. PVlchre quidem, ac paſſim: ſicut in primis illa Eſaiæ verba, aut potius Dei præcepta commonſtrant: Frange, inquit, eſurienti panem tuum, egenos, vagoſq; induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuã ne deſpexeris. Quorum officiorũ ingens quoq; fructus ibidẽ additur. Tunc anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Et Ioannes, Qui in charitate, & miſericordia fraterna nobis commendanda totus eſt, ſic inter cętera docet: Qui habuerit ſubſtantiã huius

1. Ioan. 3. mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua

ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Neque contentus hoc dicto, præclare concludit: Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus. Hæc ſunt fidelium, vereque iuſtorum opera, quę in extremo illo iudicio Chriſtus agnoſcet, & approbabit: propter quæ regnum promiſſum decernet, iuſtitiæque coronam reddet miſericordibus, quos & ipſe iuſtos prædicat. Ac ſatis hactenus de corporalibus præcipue operibus miſericordiæ.

Ibidem.

Matt. 25.
Luc. 14.
Diſt. 42.
in princ.

De Spiritualibus autem Scriptura quid teſtatur?

APoſtolica ſententia in primis huc ſpectat: Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum

Rom. 16.

ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſq; veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationẽ. etenim Chriſtus non ſibi placuit.
Ephcſ.4. Ac rurſus illud: Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi,& ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos. Tum poſtea: Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti Dei, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem,& donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut Dominus donauit vobis, ita & vos. Iterum vero: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Hęc,aliaq; id genus, permulta paſſim inculcat Paulus:qui,vt omnes faceret ſaluos,

Marginal notes: Ephcſ.5. (beside "res Dei, ſicut filij…"); Ephcſ.5. Coloſs.3. (beside "duite vos ſicut electi Dei…"); 1.Theſ.5. (beside "bis, ita & vos. Iterum vero…")

ſic omnibus omnia factus eſt, o- 1. Cor. 9.
mniq́ue fraternæ miſericordiæ of- 2. Cor. 11.
ficio emicuit, vt nobis inſignę pie- Actor. 20.
tatis exemplum vbique præbeat.

Quæ ſumma eſt doctrinæ omnis de miſericordiæ operibus pręſtandis?

Apoſtolus rem omnem hoc quaſi vnico verbo complexus eſt: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, puta legem charitatis. De qua lege rurſus idem, Si quod eſt mandatum, inquit, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Breuiter: Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. Ita vero mandauit, veluti Chriſtus interpretatur: Omnia, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.

Galat. 6. Rom. 13. 1. Tim. 1. Eccle. 17. Matth. 7. Luc. 6.

DE VIRTVTIBVS *cardinalibus.*

Quid ſibi vult nomen, & ratio Cardinalium virtutum?

August. de ſpiritu & anima. Et Amb. libr. 1. Offici.

CArdinales quędam virtutes idcirco dicuntur, quòd ſint tanquam aliarum fontes, & cardines, & quemadmodum oſtium in cardine, ſic omnis honeſtę vitæ ratio in illis verſetur, ac boni operis vniuerſa ſtructura eiſdem inniti quodā modo videatur. Eiuſmodi vero quattuor numerantur: Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, & Fortitudo: de quibus ita ſcriptum extat: Sobrietatem, & ſapientiam docet, & iuſti-

Sapien. 8. August. lib. 1. Retractati.

tiam,& virtutem:quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Vbi per ſobrietatem temperantia,per ſapiētiam prudentia,per virtutem fortitudo haud obſcure deſignatur,omneſque illę nobis ita commendantur,vt ab æterna Sapiētia, qui Deus eſt,eas proprie conferri, & ingenti cum fructu humanæ ſalutis accipi, atque exerceri, certo intelligamus. Quę virtutes etiam Officiales dictę ſunt,quoniam ab ijs,vt Ambroſius annotauit, naſcuntur officiorū genera, cunctaque communis vitę officia ſecundum ſuam cuiuſque vocationem deriuatur.

Pro. 9. & Eccl. 14.

Lib. 1. Officiorum.

Quomodo Cardinales virtutes definiuntur?

PRudentia eſt virtus, quę ſecundum honeſti rationem, quid expetendum,quid úe fugiendum ſit homini p̄ſcribit. Iuſtitia eſt virtus,

Definit. eaſdem Auguſt. lib. de li-

bero arbitrio. De his Ambroſ. diſſerit. libro. 3. Officiorum. Lib. de Geneſi cōtra Manichæos. Lib. 1. contra Academicos.

qua cuique ſua tribuuntur. Temperantia eſt virtus, voluptatum carnis, quę guſtu, atque tactu percipiuntur, moderatrix. Fortitudo eſt virtus, qua labores mortiſque pericula conſtanter & ſuſcipiuntur, & perferuntur.

Hæc eſt nobilis quadriga virtutum, qua in cœlum vehimur. hęc flumina quattuor paradiſi, vt Auguſtinus vocat, cuius & hoc dictum extat memorabile: Illa eſt, inquit, humanarum rerum ſcientia, quæ nouit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, iuſtitiæ ſanctitatem. Hęc enim ſunt, quæ nullam fortunam metuentia, vere noſtra dicere audemus.

✠

Quo pacto Prudentia nobis ſacris literis commendatur?

OMnis prudentiæ fons Chriſtus verus ille Salomon, ita docet: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. vt intelligamus, ad perfectam prudentiam vtrunque coniunctim requiri, columbinam videlicet ſimplicitatem quæ innocentes miteſque facit, & ſerpentinam prudentiam, quæ homines cautos, ac prouidos reddit, vt nec fallant, neque fallantur. Id fiet, ſi Paulinæ doctrinæ nos accommodemus: Videte fratres, inquit, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei, bona ſcilicet, & beneplacens, & perfecta.

Luc. 11. Matt. 10. & ibidem Theophilact.

Ephe. 5.

Rom. 12.

Pro. 16.

De Iuſtitia quid porro Scriptura tradit?

MElius eſt, inquit, parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate. & rurſum: Iuſtitia
Pro. 14. eleuat gentem: Iuſtitia firmatur ſo
Pro. 16. lium. Cuius quidem iuſtitię officiũ nobis per Apoſtolum his verbis ex
Rom. 13. plicatur: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Huc ſpectant iuſti, & beati viri partes, his verbis in Pſalmo de-
Pſal. 14. cantatę: Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos: Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit. Ex quo facile conſtat,

Iuſtitię nomen contractius hic accipi, quàm vbi generatim de Iuſtitia Chriſtiana diſſerimus.

Quo modo Temperantiam Scriptura docet?

HOc ſanc, Sobrius eſto: Et, Modico vino vtere, quę verba ſunt Apoſtolica, ſicut & illud: Nolite inebriari vino, iu quo eſt luxuria. Sic idem Paulus nos procul eſſe iubet a commeſſationibus, ebrietatibus, a cubilibus, & impudicitijs, quę ſunt opera tenebrarum. Addit præterea: Carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Cui conſonat Eccleſiaſticus, vbi ſic habet: Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt.

9. Tim. 4.
1. Tim. 5.
Epheſ. 5.
Rom. 13.
Ibidem.
Eccl. 37.

Qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.

De Fortitudine quid habet ſcriptura?

1.Cor.15. CLamat inuictiſſimus ille Paulus Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in omni opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Ac rurſum: Fratres confortamini in Domino,

Epheſ.6. & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, & reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. Tum Dauid ille Rex fortiſſimus, vt veræ fortitudinis rationem vno verbo complecteretur

Pſal.107. pronunciat confidenter: In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos. Atq; alibi ſuos veluti commilitones ad

ſpiritualem

ſpiritualem militiā excitans, canit: Pſal. 30.
Viriliter agite; & confortetur cor ve ſtrū, oēs qui ſperatis in Domino.

Ea vero demum vita homine digna eſt, qua prudenter, iuſte, tēperate, fortiterque viuitur: hinc aurea mediocritas conſtat, vt NE quid nimis, & ne quid minus. hoc eſt, quod Scriptura loquitur: Ne declines ad Pro. 4.
dexteram, neque ad ſiniſtram.

DE DONIS ET FRVctibus Spiritus ſancti.

Quot ſunt dona Spiritus Sancti?

IA ſeptem apud Eſaiam Prophetam & Eccleſiæ Patris inueniuntur: Spiritus ſapientiæ, Spiritus Intellectus

Eſa. 11. & ibidē Hieronym. ac Orig. Ambro. lib. 1.

de Spiri- Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pie
tu ſancto. tatis, ac demum Spiritus timoris
Auguſt. Domini. Quæ quidem dona, vel
Gregor. qui Spiritus, in Chriſto Ieſu Domi-
Bernar. no noſtro perfectius, quàm in nul-
Ioan. 1. lo alio, reperiuntur. Is enim plenus
eſt gratię, & veritatis: in illo habitat
omnis plenitudo Diuinitatis cor-
Coloſſ. 2. poraliter. De plenitudine eius nos
Ioan. 1. omnes accepimus: qui & de Spi-
1. Ioan. 4. ritu ſancto ſuo dedit nobis. Si
quis autem Spiritum Chriſti non
Rom. 8. habet, hic non eſt eius, ſi Apoſto-
lo credimus.

Quot ſunt fructus Spiritus?

Galat. 5. AB eodem Apoſtolo Paulo duo
1. Co. 13. decim numerantur: Primus
Auguſt. in eſt Charitas, radix illa bonorum
epiſ. Ioan omnium: ſine qua non poſſunt
nis. Et in prodeſſe cætera bona, & quę ipſa
Euangel. non poteſt haberi ſine cæteris bo-

nis, quibus homo efficitur bonus, vt inquit Auguſtin. Alter fructus eſt Gaudium, hoc præſtans, vt homo ſpiritualis alacriter, læteque ſeruiat Deo. Tertius Pax, quæ eo ſpectat, vt in huius mundi procellis animi ſeruetur tranquillitas. Quartus Patientia, quæ in duris ferẽdis eſt ſita. Quintus Longanimitas, quæ magnitudinem animi declarat in futuris bonis expectandis. Sextus Bonitas, quæ nulli nocet, ſed bene vult omnibus. Septimus Benignitas, inuitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata. Octauus Manſuetudo, quæ omnes iræ motus ſedat, & mitigat. Nonus Fides in proximum, vt fideles, pactorumque ac promiſſorum obſeruatores ſimus. Decimus Modeſtia, quæ omnem faſtus, & arrogantiæ ſuſpicionem excludit. Vndecimus Continentia, qua nõ ſolum ab eſcis, ſed etiam

Ioannis. Trac. 87.

ab omni nequitia abſtinemus. Duodecimus Caſtitas, quæ mentem caſtam in corpore caſto conſeruat.

Quomodo doctrina de donis & fructibus ſpiritus rite vtemur?

ITa videlicet, ſi gratis animis, vnde illa nobis proueniant, agnoſcamus, ac eorundem virtutem, & vſum in nobis ſentiamus, exprimamus, atque conſeruemus. Proueniunt certe ab omnis gratiæ fonte Pa-
Iacob. 1. tre illo luminum, qui nobis ſuam
Tit. 3. bonitatem, & charitatem immenſam in his commendat, dum per
Rom. 5. Chriſtum in nos tam abunde Spiritum ſuum effundit. Charitas enim Dei, vt Apoſtolus teſtatur, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſãctum, qui datus eſt nobis, ſecundum hanc gratiam ſcilicet ſeptiformem,

Chriſto nobis ita promerente. Qui credit in me, inquit, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluēt aquę viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credētes in eum, vt ipſe explicat Euāgeliſta. Alioquin abſq; Chriſto, ſicut Hieronymus dixit, nec ſapiēs quis eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Ioan. 7. In caput Eſai. 11.

Virtus autem, & vſus horum donorum ſpiritualium eò ſpectat, vt virtutes Theologicæ ſimul, & Cardinales, quas diximus, ſuam in nobis vim, & operationem legitimam expediant, & expedite perficiant. Efficiunt quoque, vt homines prorſus lubentes, & habiles ducem Spiritū ſanctum vbique ſequantur, atque eodem incitati, & confirmati, in via mandatorum Dei indefeſſe procurrant. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei, Pſal. 50. 118. & 142. Rom. 8.

Apoſtolo teſte. De his donis prolixum eſſet nunc agere ſingulatim: inde porro ſuauiſſimi fructus Spiritus conſequuntur, qui nos veluti frugiferas arbores in Eccleſiæ agro cõmendant, atque oſtendunt, ſecundũ illud: Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Qui fructus etiam illud commodi afferunt, vt homo Chriſtianus aduerſus carnis opera, velut ſpirituali quadam armatura, ſit inſtructus, & confirmatus. Nunquam enim fallet Canon Apoſtolicus, qui habet: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis: Et alibi ſcriptum eſt. Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Pſal. 51.

Matt. 7.

Galat. 5.

Rom. 8.

Quæ ſunt carnis opera?

EA ſunt, de quibus Apoſtolus ita diſſerit: Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt Fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, Idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Et ſubiungit: Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentis. Breuiter: Qui in carne ſunt, vt ſecundum carnis videlicet deſideria ambulent, Deo placere non poſſunt.

Gal. 5.

Rom. 8.
Augu. de verbis Apoſt.

DE OCTO BEA- *titudinibus.*

Quæ nam ſunt Euangelicæ legis Beatitudines?

Illæ ſane ſunt, quas & Dominicas beatitudines, & benedictiones Ambroſius vocat, quæ apud Matthęum Euãgeliſtam octonario nnmero recenſentur in hunc modum.

Ambr. in Luc. lib. 5. Matt. 5.

1 Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum

2 Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.

3 Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.

4 Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſatu-

Chryſ. & Hiero. in Matth. & Augu. de ſerm. Domini in monte.

rabuntur,

5 Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequẽtur.

6 Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.

7 Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.

8 Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Quare hęc de Beatitudinibus doctrina eſt obſeruanda?

QVoniam prima, & maxima pars eſt legis euangelicæ quam Chriſtus Legifer noſter in monte tradidit ore ſuo ſacroſancto, vt noſſent omnes, quid Chriſtiana Iuſtitia vltra fidem complectatur, & poſtulet: deinde ſcirent, quomodo iuſtis corona iuſtitiæ, vt Paulus vo- Eſai. 33. Matt. 5. 2. Tim. 4. 2. Ioã. epi.

cat, vel merces ęterna non ſine labore obueniat.

Quid vero circa hanc de Beatitudinibus doctrinam præcipue notandum eſt?

Ber. ſerm. 1. de Feſto omnium ſanctorũ.

PRimum quidem obſeruari debet, gradus inter eas diſtinctos eſſe, vt ex ipſo tum numero, tum ordine perſpicitur: Deinde in quolibet gradu coniunctim duo proponi, quorum alterum ipſe ſit actus virtutis, ſeu meritum, & Beatitudo, vt nuncupant, huius vitæ, alterum vero æternæ vitæ præmium ſuo merito congruens, quam beatitudinẽ patriæ licet appellare. Sicuti autem prior pars laborem, & difficultatẽ offert credentibus: ita poſterior, quæ ſtatim in ſingulis gradibus adijcitur, magnitudine propoſiti prę mij conſolationem affert, lenitque labores, ſudores, & agones in Chri-

ſtiana militia omnibus perferẽdos. Non enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundũ ſuum laborem. Quę ſeminauerit homo, hæc & metet, vt conſtanter gentium Doctor aſſeuerat. Quamobrem Dominus, priuſquàm tremendum ſe iudicem orbi ſiſtat, ad expectationem aduentus ſui nos omnes his verbis excitat: Ecce venio cito, inquit, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Qui vicerit, dabo ei ſedere in throno meo, quę demum ſumma, æterna, & abſoluta eſt Beatitudo.

2. Tim. 2.
1. Cor. 3.
Galat. 6.
Heb. 10.
Acto. 17.
Apo. 22.
Apo. 3.
Matt. 19.
Luc. 22.

DE CONSILIIS *Euangelicis.*

Quæ dicuntur Euangelica conſilia?

Augu.in Enchiri. Et ſerm. 61. de tépore.

EA videlicet, quæ cũ ad ſalutem conſequendam ſimpliciter neceſſaria nõ ſint: tamen, vt parandæ ſalutis ratio expeditior habeatur, ac facilior; a Chriſto proponuntur, atque conſuluntur. Vnde diſcrimen, quod Scriptura inter præcepta, & conſilia ſtatuit, eſt ſedulo retinendum; vt illa quidem, tanquã obſeruatu neceſſaria, præſcribi; hęc vero, vt perfectam præceptorum obſeruationem promouentia, ſua-

1.Cor.7. Matt. 19.

deri, ac ſponte ſuſcipi intelligamus. Hine Apoſtolus, cum de obſeruando cœlibatu docere vellet, ita pronunciauit: De virginibus prȩceptũ Domini non habeo: Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Deo, vt ſim fidelis. Quo ſpectat, quod Auguſtinus perſpicue dixit: Aliud eſt conſilium, aliud præceptum. Conſilium datur, vt virginitas conſeruetur, vt a vino, & a carnibus abſtineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur: Prȩceptum vero datur, vt iuſtitia cuſtodiatur, vt omnis homo diuertat a malo, & faciat bonum. Et rurſum: Conſilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorẽ habebit gloriam: Præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, euadere pœnam non poterit. Auguſtino conſonat Ambroſius, cum ita ſcribit: Non prȩcipitur quod ſupra legem eſt, ſed ma-

1. Cor. 7. Ambro. li. 10. epi. 81. & ſequen. Serm. 61. de tempore. Amb. lib. 10. ep. 82.

Lib.1.cõtra Iouinia. & ad Euſtochium de cuſtodia virgin.

gis dato ſuadetur conſilio, & quod tutius eſt, demonſtratur. Item: Conſilium inuitat voluntarios: præceptum etiam adſtringit inuitos. Neque aliter ſenſit Hieronymus, vt hæc eius verba declarant: Vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis. Sed maioris eſt mercedis, inquit, quod non cogitur, & offertur.

Quot ſunt Euangelica conſilia?

Matt. 19. Actor. 4. Matt. 19. Niceph. lib.2.c.16 Matt. 16. Luc.9. Niceph.

OMnia enumerare iam non attinet: principalia vero tria ſunt, Paupertas, Caſtitas, & Obediētia: ſicut e ſacris literis Patres intellexerunt. Paupertas ad eos pertinet, qui ſemel omnia relinquũt, vt Chriſtum exemplo Petri, & Apoſtolorum perfecte ſequantur. Caſtitas eorum eſt, qui ſeipſos caſtrauerunt

propter Regnum cœlorum, & vti Tertullianus dixit, ſe voluntarios probant ſpadones. Obedientiam vero præſtant, qui, vt ſeipſos plene abnegent, non ſolum a cupiditatibus, verum etiã voluntatibus ſuis, quod Scriptura admonet, prorſus auertuntur, dum alienæ voluntati ſeſe totos ſubijciunt.

lib. 11. ca. 37. Eccl. 18.

Huiuſmodi conſilia Chriſtus perfectionis Euangelicæ abſolutum exemplar, non verbo tantum docuit, vti mox oſtendemus, ſed etiam exemplo vitæ ſuæ ſanctiſſimæ nobis confirmauit. Qui cum diues eſſet, propter nos pauper factus eſt, non habens vbi caput reclinaret: qui Virgo etiã ex Virgine natus, & ſanctarũ virginum ſponſus, & amator idem caſtiſſimus vſque perſeuerat: qui tam ſedulus demũ in pręſtanda obedientia fuit, vt matri Virgini adeoq; Fabro ſubditus, & ad mortem vſque crucis obediẽs

2. Cor. 8. Eſai. 7. Hier. contra Iouinia. lib. 1. & ad Euſtochium. Luc. 3. Phil. 2. Ioan. 6.

factus, de ſeipſo teſtetur: Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.

Vbi conſilium paupertatis Euangelicæ a Chriſto docetur?

Matt. 19. Baſil. in Regula monachorum. Et Ser. de renunciatione vitę Hiero. ad Heliodorum & ad Ruſticũ.

APud Matthæum eo in loco oſtenditur, qui ſequitur diuinorum pręceptorum enumerationẽ: de quibus pręceptis vnicuique citra exceptionem dictum eſt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Ac deinde conſilium de voluntaria paupertate ſectanda proponitur, addita verborum formula ſingulari, quæ illud capeſcentis arbitrio relinqueret. Ait enim Dominus: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me. Vbi non ſolum ita conſulit Dominus, verum etiam quaſi

Bernar. in

calcar

calcar addit, & vt homines ad con- 1.decla-
ſilium hoc amplectendum luben- matione.
tiores faciat, præmij proponit ma- Augu. de
gnitudinem, quo eos alliciat, atque ciuit. Dei
conſoletur. Sic enim fore promit- li. 17. c.4.
tit, vt, qui omnibus propter Chriſtū Matt. 19.
relictis pauper eſt, is habeat theſau- Caſſia. in
rum in cœlo, accipiat cētuplum, & fine colla-
poſsideat vitam æternam, quæ di- tionum.
uitibus aditu eſt perdifficilis. Matt. 19.

Huiuſmodi Paupertatis cultores, ac profeſſores erant Apoſtoli, quorū nomine fidenter dixit Petrus ad Chriſtum: Ecce nos reliquimus om nia, & ſecuti ſumus te. His accedūt
naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani, qui, Actor. 4.
vti Lucas teſtatur, vendebant poſſeſ- Niceph.
ſiones, & pecuniam ex his confla- lib. 2. c. 2.
tam, in communem vſum confere bant, ita vt nemo ſuum eſſe diceret aliquid, quoniam indiſcreta, & com munia apud ipſos manebāt omnia.

Quæ paupertas id demum requi
rit, vt voluntaria, plenaq; ſit abdi- Caſſian.

catio facultatem, quarum nulla proprietas retineatur. Atq; hic locum habet celebris illa Tertulliani ſententia: Bonum eſt facultates, cũ diſpenſatione pauperibus erogare: melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul donare, & abſolutum a ſolicitudine, cum Chriſto egere.

de inſtitu. enunci. Et colla. 3 lib. de diffiniti Eccl. dogmatũ.

Vbi Caſtitatis conſilium commendatur?

Matt. 19. Epiphan. cõtra Valeſios. Et Marti. epiſt. 10. Hier. in 19 cap. Matt. Baſil. & Cyprian. de virginit.

HOc tum in Euangelicis, tum in Apoſtolicis literis commendatur. Laudat ergo Chriſtus illud genus Eunuchorum, qui propter regnum cęlorum ſeipſos caſtrauerũt. Et ne præceptum hoc eſſe magis, quàm conſilium putaremus, mox ſubijcit: Qui vox quaſi hortantis eſt Domini, vt recte Hieronymus interpretatur, & milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantes:

perinde ac ſi dicat: Qui poteſt pugnare, pugnet, ſuperet, ac triumphet. Id ille poteſt, cui datum eſt: datur autem omnibus, qui, vt Hieronymus idem teſtatur, petierint, qui voluerint, qui, vt accipiant, laborauerint. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulſanti aperietur. Cui quidem caſtitati præmium Diuina ſcriptura decernit, ſingulare autem virginum caſtitati. Etenim, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſed virgines permanſerunt, ſine macula ante thronum Dei aſſiſtunt, cantantque nouum canticum coram Deo, & Agno, ac ſequuntur Agnum quocunque ierit.

Sapien. 8. Hieron. & Origen. in Matth. Matth. 7. Luc. 11. Apoc. 14. Eſai. 56. Auguſt. pſal. 75.

Apoſtolus vero planiſſime dixit: Bonum eſt homini mulierem non tangere. Ac rurſum: De virginibus præceptum Domini non habeo: conſiliū autē do, tanquā miſericor-

1. Cor. 7. Ibidem.

diam conſecutus a Deo, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonū eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Atque iterum de vidua ſcribens, Cui vult, inquit, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium: Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam. Apoſtolo pulchre ſuffragatur Ambroſius, vbi in hæc verba ſcribit: Iure laudatur bona vxor, ſed melius quia virgo præfertur, dicente Apoſtolo: Qui iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ Dei ſunt, illa quæ mundi: illa coniugalibus vinculis colligata eſt, hæc libera a vinculis: illa ſub lege, iſta ſub gratia. Bonum coniugium, per quod eſt inuenta poſteritas ſucceſſionis humanæ, ſed melior virginitas, per quam regni cœleſtis hæreditas acquiſita, & cœle-

Ibidem.

Ambr. lí. 10. ep. 82. & ín 1. epiſto. ad Timo. c. 3. 1. Cor. 7. Vide Baſiliū lib. de vera virg.

ſtium meritorum reperta ſucceſſio. Per mulierem cura ſucceſſit: per Virginem ſalus euenit.

Requirit autem iſthęc Caſtitas, vt quis conſilio deliberato atque conſtanti ab omni carnis ſorde, ſeu Venerea voluptate, incorruptus viuere ſtudeat, atque vitam cœlibem agat continenter: vt ſit ſanctus, & corpore, & ſpiritu propter Chriſtum. Eoque ſpectans Apoſtolus dixit: Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuę voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit.

Caſſian. colla. 12.

1.Cor.7.

1.Cor.7.
Baſil.in Pſal. 44.

Quomodo conſilium Euangelicum de Obedientia nobis proponitur?

CHriſtus Dominus non ſolum exemplo vitæ ſanctisſimę, ſi-

cut ante meminimus, ſed & verbõ ſuo huius obedientię rationem perfectam nobis propoſuit, atque cũmendauit. Venit enim non ſuam facere voluntatem, ſed Patris, & eorum, quibus fuiſſe ſubditus legitur: venit idem miniſtrare, & non miniſtrari, adeo vt humiliarit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Tum ad ſui imitationem nos verbo excitans, dixit: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quæ verba, vt generatim ad omnes dicta, recte quidem poſſunt accipi, ſed peculiariter tamen, atq; perfectius ad eos pertinent, qui pro ſuo modulo ſe Chriſto ita conformant, vt nulla in re ſui eſſe iuris velint, & alieno potius, quàm ſuo arbitratu viuere ſatagunt, dum alterius, quem Chriſti loco delegerunt, voluntatem, & imperium vltro

Ioan.6
Luc.3.
Matt.20.
Luc.22.
Philip.2.
Matt.16.
Luc.9.
Baſil.de vita ſolitar. Et in aſceticis.
Ber.epi.1.
Augu. l.1. de morib. Eccleſiæ.
Philo.
Euſeb.

ſequuntur.

Huiuſmodi autem fideles, & excellentes Chriſti imitatores, vti veteres oſtendunt annales, Eccleſia ſemper habuit, & in his delectos, probatoſque cœtus piorum, ac religioſorum hominum, qui ſupra vulgi morem, ac exemplum, abdicatis ſemel bonis omnibus, & eiectis carnis lilecebris, ex profeſſo ſtuderent ſanctæ obedientiæ: eo videlicet ſpectantes, vt ad Chriſti obedientis exemplar, & ad Euangelicæ normę perfectionem ſeſe totos componerent. Cuius rei teſtes perquàm idoneos habemus Baſilium, Auguſtinum, Hieronymum, Benedictum, Gregorium, Caſſianum, Bernardum, alioſque innumeros Euangelicæ perfectionis profeſſores, & monaſtici inſtituti obſeruatores integerrimos.

Niceph. Hiſt. Tri. Paul.diac.

Quorum ſcripta extant. Vide Chry.li.3. contra vitupe. vitæ monaſticę

Quid ſummatim de conſilijs Euangelicis eſt ſentiendum?

Chryſoſt. hom. 85. ad pop. & in 1. Epiſt. Tim. c. 5. Ee Caſſi. col. 24. c. 26.

Matt. 19. Luc. 9. Ioan. 13. & 15. 1. Petr. 2. 2. Cor. 8. Luc. 3. Philip. 3.

HOc nimirum, quod ſint incitamenta, & ſubſidia quædam commoda admodum, quę infirmis aduerſus mundi, carniſq; illecebras arma prębeant: quæ bonorum conatus in curſu veræ pietatis ad meliora prouehant, quæ ſpiritum ad pręſtanda religionis, diuiniq; cultus officia expeditiorem reddant, & quę inſuper, vt oſtendimus, ad ęternæ vitæ mercedem, ac gloriam in cœlo pleniorem conſequendam conferant, Ac ſumma quidem Euangelicę perfectionis in eo verſatus, vt, quàm maxime poſſis, ad charitatem contendas, Chriſtumq; imiteris. Imitaris autem, ſi Chriſto, & pauperi, & virgini, & alijs ſubdito, & ad mortem vſque Crucis obedienti pro tua virili te ſtudeas

conformare: ſi cum Apoſtolo itidem Paulo neglectis ijs, quæ retro ſunt, indefeſſo labore ad anteriora contendas, & ad ſupernæ vocationis brauium te extendas in dies, voluntate interim propria in totum abdicata, ac homini propter Deum ſubiecta, vt ęmuleris vſq; meliora Chariſmata, partemq́ue optimam 1.Cor.12.
tum eligas, tum bona fide in finem Luc.10.
vſque conſerues.

DE QVATTVOR hominis nouißima.

Quæ dicuntur quattuor hominis nouiſſima?

HAec, videlicet, Mors, Iudicium, Infernus & Regnum cęlorũ: dicta quidẽ nouiſſima, quòd inter cetera omnia, quæ homini accidere poſſunt, extrema

plane locum ſibi vendicent. Mors enim, vt dici ſolet, eſt vltima linea rerum. Mortem ſequitur horrendū illud Iudicium Dei, ſicut & Paulus
Heb.10. his verbis oſtēdit: Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: poſt
Heb.9. hoc autem Iudicium. In quo demū Iudicio perficietur, quod Euangelica
Ioan.2. ca veritas aſſerit: Procedent qui bo
Matt. 25. na fecerunt in vitam æternam: qui
Matt.16. vero mala in ſupplicium æternum. Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Quomodo Scriptura ſingillatim de his nouiſsimis docet?

DE morte quidem, qua nihil certius, vt contra, hora mortis nihil incertius hoc modo legi-
Eccl.10. mus: Rex hodie eſt, & cras morietur. Item: Cum morietur homo,

hęreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Tum rurſus: Omnes mo- *Ibidem.* rimur, & quaſi aquæ dilabimur in *Re.14.* terram, quæ non reuertuntur. Cum autem plurimum referat, quomodo moriamur, toties in Euangelio nobis repetitur illud: Et uos eſtote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. *Matt. 25.* Parati vero mortem excipiemus, *Mar. 13.* ſi ſerio, & in omni vita pro ſe quiſque meditetur *Luc.12.* quod ſcriptum eſt. Ante obitum operare iuſtitiam, quoniam *Eccl. 14.* non eſt apud inferos inuenire cibum: ſicut & Chriſtus dixit: Venit nox, quando nemo poteſt operari. *Ioan.9.*

De iudicio autem diuino, quod effugere nullus poteſt, & cuius eſt *Heb. 10.* terribilis expectatio, ſic prædicat *Eccleſ.* Eccleſiaſtes: Cuncta, quæ fiunt, *vltimo.* adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malũ ſit. Et gentium Doctor Paulus clamat:

1.Cor.5. Omnes nos manifeſtari oportet an
Rom. 14. te tribunal Chriſti,vt recipiat vnuſ-
quiſq; propria corporis,prout geſ-
Eccl.18. ſit,ſiue bonum,ſiue malum. Idcir-
co rectiſſime præcipitur:Ante lan-
guorem adhibe medicinam,& ante
Iudicium interroga teipſum : & in
conſpectu Dei inuenies propitiatio
1.Cor.11. nem:ſicut,& Apoſtolus dixit:Si nos
metipſos diiudicaremus, non vtiq;
iudicaremur.

Iam de Gehenna conſtat, nihil ea terribilius, intolerabilius, infeliciuſque poſſe excogitari.Ibi fletus, & ſtridor dentium, ibi vermis eorum non moritur,& ignis non extinguitur: ibi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: ibi pars illorum in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda: quemadmodum Scriptura teſtatur. Propterea metuendus ille Iudex credentes omnes tam grauiter mo
Luc. 12. net: Timete eum, qui poſt, quàm

occiderit,habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Concinit Propheta Regius, qui & ipſe a Diuinis iudiciis timuit: Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de uia iuſta, cum exarſerit in breui ira eius. Pſal. 118. & 2.

Verum ſicut malorum ſumma infernus eſt, ita Regnum cœlorum ſumma bonorum omnium exiſtit, ut hoc ipſo nihil,aut optabilius,aut iucundius, aut felicius homini vnquam poſſit deſiderari.

Audi Diuinorum conſciũ Apoſtolum:Oculus non vidit,nec auris audiuit, ne in cor hominis aſcendit,quę pręparauit Deus ijs,qui diligunt illum. Ac idem alibi: Non ſunt condignæ paſſiones huius tēpo ris ad futurã gloriam, quę reuelabi tur in nobis. Iam ſi cum Propheta 1. cor. 2. Rom. 8.

Pſal. 14. roges, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? ſic tibi reſpõdet Diuinum oraculum: Qui ingre-
Matt. 7. ditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Item: Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum cœlorum.

Quis eſt vſus, & fructus doctrinæ de quattuor nouiſſimis?

EO quidem confert hęc doctrina, vt perpetuo memores nouiſſimorum, a peccando cohibeamur, & aduerſus omnes vitiorum peſtes muniti, in æqui, boniq́ue recto ſtudio contineamur. Scriptum
Eccl. 7. Vide Climachum & Caſſianum. eſt enim: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua: & in æternum non peccabis. Nam eiuſmodi rerum memoria, quæ ſanctiſſimis etiam viris ſolet eſſe familiaris, a vanis cogitationibus, terre-

niſque curis hominem reuocat, eum ad ſui cognitionem adducit, atque ad ſalutarem Dei timorem impellit, & in eo ipſo promouet conſeruatque. Qui vero timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas: cuſtodient mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius. Atque adeo plenitudo ſapientiæ eſt, timere Deum, ſicut Scriptura teſtatur. Cæterum filij ſeculi huius, ante quorum oculos non eſt timor Dei, hac voce Prophetica corripiuntur. Gẽs abſque conſilio eſt, & abſque prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerent, atque nouiſſima prouiderẽt. Tenent Tympanum, & Cytharam, ait Iob ille patientiſſimus, & gaudent ad ſonitum organi: Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad infernum deſcendunt.

Eccl. 2.

Eccl. 1.

Pſal. 13.

Deuterono. 32.

Iob. 21.

Quæ eſt ſumma eorum, quæ in hoc libro continentut?

SVmma totius operis duabus rebus continetur, Sapientia, & Iuſtitia Chriſtiana. Ad Sapientiam hęc capita, videlicet, de Fide, & Symbolo fidei, de Spe, & Oratione dominica, de Charitate, & Decalogo referuntur. Nam Fides, Spes, Charitas, illæ virtutes ſunt, quibus veram hominis ſapientiam, vt Auguſtinus annotat, diuina ſcriptura concludit. Acceſſit porro de Præceptis Eccleſiæ, & de Sacramentis tractatio. Sicut enim prędictę virtutes abſq; Sacramentis, & Præceptis Eccleſiæ ſubſiſtere nō poſſunt, ita eorū acceſſione efficaciter nobis inferuntur, inſertæ confirmantur, augentur, & perficiūtur. Itaq; in ijs, quę ad Sapientiā referimus, explicandis, prior libri pars abſoluta eſt.

Poſterior

Poſterior, quę circa Iuſtitiam verſatur, duas eius partes tum ad mala fugienda, tum ad bona conſectanda ſpectantes, breuiter enucleat. Etenim recte ſcripſit Hieronymus, nõ ſufficere Chriſtiano, ſi partem vnam iuſtitiæ impleat, cui vtrunque pręcipitur: Declina a malo, & fac bonum. Vtrique igitur parti capita nonnulla, quæ pręcipue ad malorum, bonorumque diſcrimen obſeruandum pertinent, accommodata ſunt. Totius autem Iuſtitiæ vim, & amplitudinem, Tobias vir æque ſapiens, ac iuſtus, ſuccincte comprehendit, vbi ſuum filium, adeoque filios Dei omnes ſingillatim admonet in hęc verba: Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Ita demum diſcimus, quantum inter Chriſtianum,

Ad Celantiam.
Pſal. 33.
Tob. 4.

ethnicumque hominem, interijt, eum vtrunque non modo Fides, verum etiam vita ſecundum Sapientiam, & Iuſtitiam Chriſtianam inſtituta diſcernat.

Verum enimuero, ne inſtitutæ Summę terminos prætereamus, doctrinę huius ad Chriſtianos, eoſque in primis ſimpliciores inſtituendos pertinentis, hic modus, & finis eſto. Quę omnia vno Eccleſiaſtis verbo, tanquam totius humanæ vitæ illuſtri Sigillo conſignabimus, ita concludentes, Deum time, & mādata eius obſerua.

Ecceleſi. vltimo.

Pſal. 67.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Ieſu Chriſto Crucifixo, qui auctor, atque conſummator eſt ſapientiæ, inſtitięque noſtræ, Gloria ſempiterna.

FINIS.

INDEX TOTIVS LI-
belli ordinem, & ſummam complectens.

CHriſtiana doctrina circa Sapientiam, & Iuſtitiam verſatur.

Ad Sapientiam, quæ ordine ſequuntur, & infra tractantur, capita referri poſſunt.

1 De Fide, & Symbolo Fidei.
2 De Spe, & Oratione Dominica, cum Angelica ſalutatione.
3 De Charitate, & mandatis Decalogi, cum Eccleſiæ præceptis.
4 De Sacramentis.

Ad Iuſtitiæ priorem partem, quæ in malis fugiendis eſt ſita, pertinent hæc capita.

1 DE peccatis ſeptem Capitalibus.
2 De peccatis alienís culpa aliqua noſtra ad nos pertinentibus.
3 De peccatis in Spiritum ſanctum.
4 De peccatis in cœlum clamantibus.

Ad Iuſtitiæ partem alteram, quæ in bonis faciendís, aut conſectandis eſt poſita; recte referri poſſunt.

1 BOnorum operum genera triplicia.
2 Opera miſericordię,
3 Virtutes Cardinales.

4 Dona, & fructus Spiritus Sancti.
5 Octo Beatitudines.
6 Conſilia Euangelica.
7 Quattuor hominis nouiſſima.

Ad Chriſtianæ doctrinæ totius ſummam vnico ceu verbo comprehendendam, Eccleſiaſtici ſententia notatu digna eſt, qui ait. Eccl. 2.

FILI concupiſcens Sapientiam, conſerua Iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.

✠

PRECES HORARIAE de æterna Dei ſapientia Ieſu Chriſto domino noſtro, quibus ſingulis præ mittitur hic verſiculus.

Salutem mentis & corporis donet nobis Ieſus ſapientia Patris.

Ad Matutinas.

DOmine labia mea aperies, Et os meum annũciabit laudem tuam:

Deus in audiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſęcula ſęculorum, Amen. Allelula.

A SEPTVAGESIMA vſque ad Paſcha dicitur: Laus tibi domine Rex æternæ gloriæ.

Inuitatorium.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus,

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Pſalmus.

VEnite exultemus Domino; iubilemus Deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei. Pſal. 94.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venitę adoremus, & procidamus ante Deum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus:

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt, & viderunt opera mea.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde: ipſi vero non co-

gnouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum. Amen.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Aeternæ ſapientiæ fontem adoremus.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

HYMNVS.

IESV dulcis memoria, dans vera cordis gaudia: qui ſuper mel, & omnia es dulcis præſentia.

Nil canitur ſuauius: auditur nil iucundius: nil cogitatur dulcius: quàm Ieſus Dei filius.

Ieſus ſpes pœnitentibus, quàm pius es petentibus, quàm bonus te quærentibus? ſed quid inuenientibus?

Aeterna ſapientia tibi patrique gloria, cum ſpiritu paraclito, in ſempiterna ſęcula, Amen.

Pſalmus.

Pſal. 65. IVbilate Deo omnis terra, pſalmũ dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

℣ Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: Pſalmum dicat nomini tuo.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſęcula ſęculorum, Amen.

Antiph.

Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit columnas ſeptem: ſubdidit ſibi gentes ſuperborum, & ſublimium colla propria virtute calcauit. Pro. 9.

Verſus.

Ego autem in Domino gaudebo Aba. 3.

Reſponſio.

Et exultabo in Deo Ieſu meo.

Pater noſter &c. Et ne nos &c.

Iube Domine benedicere.

Ieſus ſapientia patris depellat cuncta aduerſantia nobis. Amen.

Lectio prima.

O Sapientia æterna, ſplendor glorię, & figura ſubſtantiæ Heb. 1. patris: qui vniuerſa de nihilo creaſti, &, vt hominem ad paradiſi gaudia reduceres, in hanc vallem miſerię deſcendiſti, eiq́ue viam redeũdi

per tuam dulciſſimam conuerſationem demonſtraſti, & pro ſatisfactione cunctorum, tanquam agnus innocens patri immolari voluiſti. aperi per tuam pretioſam mortē cor meum, vt te regem regum, & dominum dominantium oculis integræ fidei ſemper aſpiciam. Pone meam in tuis vulneribus philoſophiam, in tuis ſtigmatibus ſapientiam, vt vlterius in te ſolo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita vt ego, iam non ego, ſed tu in me, & ego in te indiſſolubili vinculo amoris æternaliter maneamus. Tu autem Domine miſerere noſtri, Deo gratias.

Reſponſorium.

Sap. 9. Emitte Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Verſus.

Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Iube Domine benedicere.

Aeterna ſapientia illuminare dignetur ſenſus & corda noſtra. Amen.

Lectio ſecunda.

O Ieſu mi dulciſſime, & ſapientia felicisſima, verbum patris, principium & finis omnium entium: pijs oculis quæſo me intuere, quia puluis ſum & caro, ſciens quod non ſit volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Recogita obſecro amariſſimam Rom. 9. paſſionem, quam pro me indigno peccatore pertuliſti, & bonam voluntatem a te inchoatam pie cuſtodi. O miſericordia mea, ne derelinquas me. O refugium meum, ne diſceſſeris a me. O libe-

rator meus, intende in adiutorium meum: & me huic mundo mortuum, in ſepulchro tuo tecum ſepelias, & ab omnibus inimicorum inſidijs abſcondas, vt me a te, nec vita, nec mors, nec vlla fortunæ ſors ſeparet, ſed permaneat morte fortior amor noſter nunc & in æuum. Tu autem Domine miſerere noſtri. Deo gratias.

Reſponſorium.

Sap. 9. Da mihi Domine ſedium tuarũ aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis: Quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuę.

Verſus.

Mitte illam a ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. Quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.

Iube domine benedicere.

Dono ſapientiæ & intellectus, impleat nos ſpiritus ſanctus. Amen.

Lectio tertia.

O Refugium meum,& liberator meus, per immenſum amorem, qui te in patibulo crucis amariſſimam mortem pro me ſubire coegit, peccata quæ ego immundus peccator commiſi, miſericorditer indulgeas: a committendis, & a cunctis periculis in vulnere lateris tui pie me cuſtodias: greſſus meos in huius vitæ fluctibus ad ſanctum finem dirigas,& ad conſpectum gloriæ tuæ me perueniri concedas. Tu autem Domine miſerere noſtri. Deo gratias.

Reſponſ. Sap.7.

Super ſalutem & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam, & propoſui pro luce habere illam: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Verſus. Pro.7.

Dixi ſapientiæ ſoror mea es, & prudétiam vocaui amicam meam:

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

EX CANTICO D. AMbroſij & Auguſtini.

Tu rex gloriæ Chriſte.

Tu patris ſempiternus es filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Aeterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.

Saluum

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te

Et laudamus nomen tuum in ſęculum, & in ſęculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Amen.

AD LAVDES.

Verſus.

Salutem mentis, & corporis.

Reſponſorium.

Donet nobis Ieſus ſapientia patris.

Verſus.

DEus in adiutorium meum intende,

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſalmus.

Pſal. 116. LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Antiph.

Sapientia clamitat in plateis: ſi quis diligit ſapientiam, ad me de-

clinet, & eam inueniet: & eam cum inuenerit, beatus erit ſi tenuerit eam.

Capitulum.

Hanc amaui & exquiſiui a iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formę illius. Pro. 3.

Reſponſio.

Deo gratias.

Hymnus.

IEſus rex admirabilis, & triumphator nobilis, dulcedo ineffabilis; totus deſiderabilis. Sap. 8.

Nec lingua poteſt dicere, nec litera poteſt exprimere, expertus poteſt credere, quid ſit Ieſum diligere.

Amor Ieſu continuus, mihi languor aſſiduus, mihi mellifluus fructus vitæ perpetuus.

Aeterna ſapientia tibi, patrique gloria, cum ſpiritu paracleto, in ſempiterna ſæcula. Amen.

Verſus.

Sapiẽtia requieſcit in corde eius.

Reſponſio.

Et prudentia in ſermone ortus illius.

Ad Benedictus Antiph.

O ſapientia.

CANTICVM ZACHARIAE.

Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Iſrael; quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſęculo ſunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti tui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad

Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Vt ſine timore,de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.

In ſanctitate,& iuſtitia coram ipſo,omnibus diebus noſtris.

Et tu,puer,propheta altiſsimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his,qui in tenebris,& in vmbra mortis ſedent:ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis:

Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Antiphona.

Sap. 8. O ſapientia quę ex ore altiſſimi prodiiſti, attingens a fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque diſponens omnia, veni ad docẽdum nos viam prudentiæ.

Domine exaudi orationem meã

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus qui per coęternam tibi ſapientiam hominem, cum non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti, pręſta quęſumus: vt eandem, corda noſtra te inſpirante, tota mente amemus, & ad te toto corde curramus, per eundẽ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Benedicamos Domino.

Deo gratias.

Aeterna ſapientia benedicat, &

cuſtodiat corda & corpora noſtra. Amen. Ita terminantur omnes horę.

AD PRIMAM.

Salutem mentis,& corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

Deus in adiutorium meum intende,

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum. Amen.

Hymnus.

AMor Ieſu dulciſſimus, & vere ſuauisſimus, plus millies gratiſſimus, quã dicere ſufficimus. Ieſu decus angelicum: in aure dulce canticum: in ore mel mirificũ: in corde nectar cœlicum. Ieſu mi bone ſentiam amoris tui copiam: D. Bernardus.

da mihi per præſentiam, tuam vide re gloriam.

Aeterna ſapientia tibi, patrique gloria, cum ſpiritu paracleto, in ſempiterna ſęcula, Amen,

Pſalmus 142.

AVditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum, Amen.

Antiphona.

Pro. 8. Ego diligentes me diligo, & qui

mane vigilauerit ad me, inueniet me.

Capitulum.

Sapientia vincit malitiam: attingit a fine vſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Sap. 8.

Reſponſio.

Deo gratias. Reſponſorium.

Ieſu Chriſte, fili Dei viui miſerere nobis.

Verſus.

Qui natus es de Maria virgine, miſerere nobis.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Ieſu Chriſte, fili Dei viui miſerere nobis.

Verſus.

Exſurge Domine, adiuua nos.

Reſponſ.

Et libera nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Corda noſtra, quæſumus Domine, æternæ ſapientiæ ſplendor illuſtret, quo mundi huius tenebris carere valeamus, & peruiamus ad patriam claritatis æternæ, per eũdem Dominum noſtrum, &c. Benedicamus Domino &c. Vt ſupra.

AD TERTIAM.

Salutem mentis & corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

DEus in adiutorium meum intende,

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria patri, & filio & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſeculorum, Amen. Alleluia.

Hymnus.

TVa Ieſu dilectio, grata mentis refectio, replens ſine faſtidio,

dans famem deſiderio.

Qui te guſtant eſuriunt: qui bibunt adhuc ſitiunt, deſiderare neſciunt, niſi Ieſum quem diligunt.

Deſidero te millies, mi Ieſu quando venies? quando lætum me facies? me de te quando ſaties?

Aeterna ſapientia, tibi patrique gloria, cum ſpiritu paraclito, in ſempiterna ſęcula, Amen.

Pſalmus 142.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine, viuificabis me in æquitáte tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc,

& ſemper, & in ſęcula ſęculorum;
Amen.

Antiphona.

Eccl. 1. Fili concupiſcens ſapientiam cõſerua iuſtitiam, & præbebit eam tibi Dominus.

Capitulum.

Sap. 8. Hanc amaui & exquiſiui a iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere,& amator factus ſum formæ illus.

Reſponſ.

Deo gratias. Reſponſorium.

Aba. 3. Ego autē in Domino gaudebo.

Verſus.

Et exultabo in Deo Ieſu meo.

In Domino gaudebo.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Ego autē in Domino gaudebo:

Verſus.

Sit nomen domini benedictum.

Reſponſ.

Ex hoc nũc, & vſque in ſęculum.

Oremus.

Deus qui per coæternam tibi ſapientiam hominem cum non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti: præſta quæſumus, vt eandem corda noſtra inſpirante te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem, vt ſupra.

AD SEXTAM.

Salutem mentis & corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

DEus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Alleluia.

HYMNVS.

D. Bernardus.

IEſu ſumma benignitas:mira cordis iucunditas:incomprehenſaq; bonitas,tua me ſtringat charitas.

Bonum mihi diligere,Ieſum ; nil vltra quærere, mihi prorſus deficere,vt illi queam viuere.

Ieſu mi dilectiſſime,ſpes ſuſpirantis animæ , te quærunt piæ lachrymæ, & clamor mentis intimæ.

Aeterna ſapientia tibi patriq́ue gloria,cum ſpiritu paraclito,in ſempiterna ſęcula, Amen.

Pſalmus. 32.

ANima noſtra ſuſtinet Dominum:quoniam adiutor,& protector noſter eſt.

Quia in eo lætabitur cor meũ,& in nomine ſancto eius ſperauimus.

Fiat miſericordia tua domine ſuper nos , quemadmodum ſperauimus in te.

Gloria patri , & filio , & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum, Amen.

Antiph.

Dominus poſſedit me: in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret a principio, dicit Dominus. Pro. 8.

Capitulum.

Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula diuinę maieſtatis, & imago bonitatis illius. Sap. 7.

Reſponſio.

Deo gratias. Reſponſorium.

Sit nomen Domini benedictum.

Verſus.

Ex hoc nunc, & vſq; in ſęculum.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Reſpon.

Sit nomē Domini benedictum.

Reſponſ.

Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Verſus.

A ſolis ortu vſque ad occaſum.

Reſponſio.

Laudabile nomen Domini.

Oremus.

Exaudi nos miſericors Deus, & mentibus noſtris ſapientiæ tuæ lumen oſtende, & te ſuper omnia diligere concede, per eundem Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum &c.

Benedicamus Domino, vt ſupra.

AD NONAM.

Salutem mentis & corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

DEus in adiutorium meum intende,

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper,

& ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Alleluia.

HYMNVS.

QVocunque loco fuero ſemper Ieſum deſidero: quàm lætus cũ inuenero, quam felix cum tenuero. D. Bernardus.

Tunc amplexus, tunc oſcula, quæ vincunt mellis procula, ſed in his parua morula, Ieſum ſequar per ſecula.

Iam quod quæſiui video: quod concupiui teneo, amore Ieſu lauguco, & corde totus ardeo.

Aeterna ſapientia, tibi patrique gloria, cum ſpiritu paracleto in ſempiterna ſecula, Amen.

Pſal. 50.

COr mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum in noua in viſceribus meis.

Ne proiicias me a facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiã ſalutaris tui,

& ſpiritu principali confirma me.
Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, &c.

Antiph.

Pro. 8. Nec dum erant abyſſi & ego parturiebar: quando præparabat cœlos, aderam, cum eo eram cuncta componens.

Capitulum.

Sap. 7. Sapientia ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum: luci comparata inuenitur prior.

Reſponſio.

Deo gratias. Reſponſorium.
A ſolis ortu vſque ad occaſum.

Verſus.

Laudabile nomen Domini.
Vſque ad occaſum.
Gloria patri, & filio, &c.
A ſolis ortu vſque ad occaſum.

Verſus.

Sapiētia requieſcit in corde eius.

Reſponſ.

Et prudẽtia in ſermone oris eius.

Oremus.

Infunde quæſumus, Domine, cordibus noſtris lumen ſapientiæ tuæ, vt te veraciter agnoſcamus, & fideliter diligamus. Per eundem Dominum noſtrum, &c. vt ſupra.

Benedicamus, &c.

AD VESPERAS.

Salutem mentis, & corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

DEus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria patri, & filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper & in ſæcula ſeculorum, Amen. Alleluia.

Pſalmus. 110.

REdemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in

æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomẽ eius, initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

Gloria patri, & filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. Antiphona.

Omnis ſapiẽtia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Capitulum.

Eccl. 12. HAnc amaui, & exquiſiui a iuuẽtute mea, quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.

Reſponſo.

Deo gratias.

HYMNVS.

D. Bernardus. IEſu ſole ſerenior, & balſamo ſuauior, omni dulcore dulcior, prę cunctis amabilior.

Tu mentis delectatio: amoris conſummatio: tu mea gloriatio, Ieſu mundi ſaluatio.

Ieſu auctor clementiæ: totius ſpes lætitiæ: dulcoris fons, & gratiæ: veræ cordis delitiæ.

Aeterna ſapientia tibi, patrique gloria, cũ ſpiritu paracleto, in ſempiterna ſęcula, Amen.

Verſus.

Ego autẽ in Domino gaudebo.

Reſponſ.

Et exultabo in Deo Ieſu meo.

Ad Magnificat antiphona.

O oriens.

Magnificat anima mea Dominum.

Canticum beatæ virginis Laniæ. Luc. 1.

Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo,

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius a progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

Exurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, rerordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſęcula.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum. Amen.

Antiphona.

O oriens ſplendor lucis ęternæ, & ſol iuſtitiæ, veni, & illumina ſedentes in tenebris, & vmbra mortis.

Domine exaudi orationem meã

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui per coæternam tibi ſapientiam hominem, cum non eſſet, condidiſti; perditumq́; miſericorditer reformaſti: præſta quæſumus, vt eandem, corda noſtra te inſpirante, tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum noſtrũ. vt ſupra.

Benedicamus domino. vt ſupra.

AD COMPLETORIVM.

Salutem mentis, & corporis donet nobis Ieſus ſapientia patris.

CONuerte nos Deus ſalutaris noſter.

Et auerte iram tuam a nobis.

Deus in adiutorium meũ intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpi. &c. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper. &c. Alleluia. Pſalmus 12.

ILlumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne

quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Gloria patri, & filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Antiph.

Eccl. 24. Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis.

Capitulum.

Sobrietatem & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus nihil eſt vtilius in vita hominibus.

Reſponſio.

Deo gratias. Reſponſorium.

In pace in idipſum,
Dormiam & requieſcam.

Verſus.

Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem,

Dormiam & requieſcam.

Gloria patri, & filio &c.

In pace in idipſum,

Dormiam & requieſcam.

HYMNVS.

IEſus in pace imperat, qui omnē ſenſum ſuperat, hunc mea mens deſiderat, & illo frui properat. D. Bernardus.

Te cœlis chorus prædicat & tuas laudes replicat: Ieſus orbem lætificat, & nos Deo pacificat.

Ieſus ad patrem rediit: cœleſte regnum ſubiit: cor meum a me tranſijt, ſimul poſt Ieſum abiit.

Aeterna ſapientia, tibi patrique gloria, cum ſpiritu paracleto in ſempiterna ſæcula. Amen.

Verſus.

In pace factus eſt locus eius.

Reſponſ.

Et habitatio eius in Syon.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

Antiphona. O rex glorioſe.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum. Amen. Antiphona.

O rex glorioſe, qui inter ſanctos tuos ſemper es laudabilis, & lumen ineffabilis, tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Deus noſter, vt in die iudicij nos collocare digneris inter ſanctos & electos tuos, Rex benedicte.

Domine exaudi orationē meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fragilitatem noſtram quęſumus Domine, propitius reſpice, & ſaporem nobis æternæ ſapientiæ benignns infunde: vt eius dulcedine melliflua prægustata, omnia terrena valeamus deſpicere, & tibi ſummo bono ardenti deſiderio iugiter adhærere. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus Per omnia ſęcula ſęculorū. Amen.
Benedicamus Domino. vt ſupra.

FINIS.

Eccleſiaſtici IIII.

Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe: & præibit in via Iuſtitiæ: & qui illam diligit, diligit vitam.

IVSTVS PRO INIVSTIS MORTVVS.

1. Pet. 3.



Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Luc. 1.

MEDITATIONES QVOTIDIANAE

iuxta ordinem dierum hebdomadæ.

PRAEFATIO.

INTER omnia pietatis veræ exercitia, Chrſtiane Lector, nihil prçſtantius, nihil Deo gratius, hominiq; vtilius, ac magis neceſſarium, & ad bene, beateque viuendum accommodatius eſſe poteſt, quàm ſe diligenter in aſſidua Vitæ, & Paſſionis Domini noſtri IESV CHRISTI meditatione exercere. Id quod non modo ſanctiſſimorum, ac eruditiſſimorum hominum exépla, & doctrina; ſed ipſo etiam experientia, rerum magiſtra, luculen-

ter oſtendit, atque confirmat. Si enim vitia vis fugere, & peccata declinare, tecum expende, quid non egerit, ac paſſus ſit triginta tres annos vnigenitus filius Dei, vt te a peccatis, ac vitijs omnibus liberaret. Si humilitatem, manſuetudinem, patientiam, obedientiam, charitatem, cęteraſque Chriſti virtutes amas, ijſque animum tuum ornare deſideras, inſpice viuum & abſolutum omnis virtutis exemplar Dominum tuum Ieſum Chriſtum. Si vero vis mundum, & ea, quæ in mundo ſunt contemnere, ac pro nihilo ducere, ſerio tecum cogita, qualem in hoc mundo vitam Chriſtus Dominus egerit, quàm pauperem, quàm vilem, & abiectam, quantiſq; laboribus, & doloribus plenam, quas inſidias, & calumnias, qualem denique mortem tui amore, tuęque ſalutis cauſa pertulerit. Si denique ad Dei amorem, & gratiarum actio

nem te velis excitare, atque inflam mare, quid quęſo efficacius, quam Chriſti vitam & paſsionem, & quã multa, atque immenſa ex illis beneficia ſimus conſecuti, ſedulo meditari? Vt non immerito dixerit Apoſtolus: Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes. Et Diuus Petrus, Chriſto inquit, paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Cęterum vt maiori cum fructu meditationibus iſtis vtaris, Chriſtiane lector, talis erit in his tibi ſeruanda ratio, vt orationis tempore primo quidem puncta omnia illius diei perlegas, deinde vero in illius contemplatione diutius hęreas, in quo magis perlegendo afficiebaris. Meditans porro de virtute aliqua ſedulo tecum perpendas quàm ſtudioſe Chriſtus ſeruator tuus ſe in ea

exercuerit,tibi exemplum prębens, vt veſtigijs ipſius diligéter inſiſtas. Atque tunc ipſe tecum ſtatues, ad eius imitationé re præſenti illo die, in eadem illa virtute aliquem progreſſum facturum: Dabiſque proinde operam ſæpius, interdiu conceptum propoſitum in mentem reuocare,atque occaſiones non negligere, quibus in ea te virtute exerceas. Puncta autem quinque ſunt. Primum ex Chriſti infantia. Secundum ex eius vita. Tria deinceps ſequentia ex eiuſdem paſſione deſumpta.

DIE DOMINICO, de humilitate Chriſti.

PRimo igitur cogitabis, quanta humilitate Dei filius, ſummus ille totius orbis Monarcha, e cœlis in virgineum humilis virginis Mariæ vterum deſcenderit, atque ſe- Phil. 2.
ipſum

Ipſum exinanierit, formam ſerui accipiens. Rogabis proinde eundẽ illum Dominum, vt veram humilitatem donet, gratiamque tibi infundat, qua ſuperbia omnis, inanis gloria, atque tui ipſius complacentia ex corde tuo radicitus euellantur, conſiderabiſque tecum ſæpenumero, quot, quantiſque adhuc imperfectionibus ſis obnoxius, quã miſere in vitia quotidie labaris, quã denique parum hactenus in virtutibus profeceris.

Secundo conſiderabis, quanta animi demiſſione a Ioanne Baptiſta ſe baptizari ſit paſſus, haud aliter, quàm ſi homo peccator fuiſſet, indigens purgatione, aut expiatione, qui tamen Deus verus, & homo, ab omni prorſus ſorde peccati immunis, ipſe etiam Ioanni gratiam omnem qua præditus erat, contulerat. Tu igitur vermiculus cum ſis, creatoris tui exemplo, quibuſuis

qui te, vel docent, vel hortantur, vel reprehẽdunt, ſubiicito; etiãſi multo te ſint & inferiores, & imbecilliores.

Tertio ſummam illam humilitatem perpende, qua, inſtãte paſſionis tempore, humanam ſuam exponens infirmitatem, animi ſui triſtitiam Apoſtolis declarauit, cum diceret: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, cum tamen ille ipſe ſit, qui vera lætitia tam eos, qui in cœlis, quàm qui in terra degunt, perfundit. Diſce igitur non nimium tibi fidere, neque in tentationibus, quæ vel exterius, vel interius obueniunt, de te ipſo plus æquo præſumere, ſed ſubmiſſe de te ſentiẽs aliorum ſana conſilia non vereare & petere, & amplecti.

Quarto conſidera, quàm humiliter Chriſtus Dominus omnium potentiſſimus velut tamen homo ab omni auxilio diſtitutus, in terram ſe proſtrauerit, patremq; ſuũ,

vt noſtra expiaret crimina, illachrymans orauerit, & præ amoris magnitudine, ſanguineum ſudorem largiter emiſerit. Ea propter etiam tu in quauis tribulatione & cordis anguſtia, humili oratione te ad Chriſtum ſeruatorem conuertas, nihilq́; tibi amore illius indulgeas, te totũ eius voluntati conſecres.

Quinto intuere, quàm fuerit humilis illa reſignatio, qua voluntatẽ ſuã cœleſti patri (cui tamen, vt Deus, æqualis erat) prõptiſſime obtulit ita dicens: Non mea, ſed tua voluntas fiat. Quãq; non fuerit dedignatus angeli cõſolationẽ ſeu confortationem admittere, qui alioqui totius orbis eſt conſolator, omneſq́ue in agone confortat. Igitur & tu profunda humilitate, Dei te voluntati ſubmittas omnibus in rebus, quæ vel interius, vel exterius euenire poſſunt, magna cum fiducia conſolationem cęleſtem expectans.

Sub finem meditationis hanc talem orationem adiungito.

Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, ipſe verus Deus, & potentiſſimus rerum omnium conditor, & moderator: qui, vt humilitatis nobis exemplum relinqueres, e ſublimi cœlo in hanc terram deſcendiſti, humanam noſtram infirmitatem, atque abiectionum aſſumens, a ſeruoque tuo Ioanne, velut impurus peccator, baptizari voluiſti; & paſſione tua iam inſtante charis diſcipulis cordis tui triſtitiam pateféciſti, proſtratuſque in terram ſudore ſanguineo emiſſo humillime volútatem tuam in voluntatem patris reſignaſti; aliaque quam plurima egiſti, quæ ſummæ humilitatis ſunt argumentum. Precor vt profundam mihi dones humilitatem, qua me omnibus facile, lubenſq; ſubij-

clam, neque alte de me ipſo ſentiã, ſed vilis ſim abiectusque ſemper in oculis meis,& talis ab omnibus haberi cupiam. Qui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti, viuis & regnas Deus in ſæcula benedictus, Amen.

DIE LVNAE DE MANſuetudine Chriſti.

PRimum eam manſuetudinem diligenter expende, qua innocens ille puerulus iam recens natus, orbi ſe oſtenderit, licet inimiciſſimo. Ora eundem ipſum, vt verã innocentiam & cordis manſuetudinem tibi donare dignetur.

Secundo cogita, quanta manſuetudine, quantaque modeſtia cum Apoſtolis ſuis licet imperitis ac ſimplicibus verſatus ſit, tam verbis quã factis manſuetudinem omnem ſignificans: quamque manſuete Iu-

dęorum captioſis & malignis quæ-ſtionibus reſponderit. Quo circa etiam tu ſumma modeſtia, animique manſuętudine cum omnibus verſari diſcas; neque verbo, neque opere, vllum immodeſtiæ ſignum præbeas, quantumcunque tibi verbis, aut factis aduerſentur.

Tertio vide, quam manſuete Iudam proditorem ſit exoſculatus, & ſe capiendum hoſtibus benigne obtulerit, omniaq; corporis membra ſtringenda præbuerit. Proinde & tu manſuete, & amice his omnibus occurras, qui te vel ſpernunt, vel ludibrio habent, quantumuis grauem tibi irrogauerint iniuriam.

Quarto qua ſit vſus manſuetudine conſidera, dum coram impio Anna ita ligatus ſtaret, quam manſuete ipſi inſidioſe interroganti reſponderit, ac diram ſic alapam perpeſſus. Quapropter etiam tu manſuete feras, ſi quando tibi duriter re

ſpondeatur, etiam ſi recte tibi, tuo quidem iudicio, aut feciſſe, aut dixiſſe videaris.

Quinto, illã quoque manſuetudinẽ perpendes, quã in ędibus Caiphæ ſingularem exhibuit, in omnibus illis occultis pœnis, ac illuſionibus, cum videlicet facies illa ſuauiſſima, in quam deſiderant angeli proſpicere, tam ignominioſe velaretur, alapis & colaphis crudeliter cęderetur, & tam fœde conſpueretur, alijſque id genus multis tormentis afficeretur, quæ nulli vnquam mortaliũ innotuerunt. Tu igitur diſcas manſuete ferre quidquid moleſtiarum vel interius, vel exterius occurret. Atque ſi occulte tibi quiſpiam moleſtus ſit, magna id æquabilitate, animi alacritate, hilariſque vultu ſuſtineas, idque ob amorem amici, Seruatoris, & dilectiſſimi animæ tuæ ſponſi Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Finita Meditatione ita precabere.

Domine Ieſu Chriſte præclarū omnium virtutum exemplar, qui ſummam ſemper omnibus manſuetudinem prębuiſti, tam in natiuitatis tuæ exordio, quando te mundo oſtendiſti inimiciſſimo, quã per totam reliquam vitam, in qua modeſtia ſumma cum diſcipulis rudibus & Iudæis continenter inſidiantibus verſatus es: quàm denique paſſionis tempore, cum & proditorem Iudam manſuetiſſime deoſculabaris, & Iudęis eadem ſemper modeſtia te ipſum exhibuiſti, quantumuis duriter ligarent, cæderent, in faciem conſpuerent, multaſq; irrogarent iniurias. Rogo humillime, vt veram mihi largiaris manſuetudinem, qua ſedato animo mea omnia peragam, mode

ſteque me apud alios habeam, atq; manſuete cum omnibus verſer, ſiue benigne, ſiue durius mecum agant. Qui viuis, & regnas cum Deo patre, & Spiritu ſancto, Deus in omnia ſæcula. Amen.

DIE MARTIS, de patientia Chriſti.

PRimo diligenter aduerte ſingulare patientiæ exemplum, quod tibi in tenerrima illa ætate nimirum in ſua circuncisione prębuerit, in qua pretioſum ſuum ſanguinem benigne pro nobis fundens, graui illo vulnere tenellus adhuc infantulus afflictus fuit. Idcirco in te vitia omnia, omnes prauas affectiones, omniaque mala deſideria circuncidere & amputare ſtude. Et vt Chriſtus legem ex animo perfecit, ita etiam ne ad latum vnguem a tibi præſcriptis viuendi legibus

deflectas, quin potius ad eas teipſum componas, licet id naturę non nunquam moleſtum videatur.

Ioan. 8. Luc. 4. Secundo cogita quanta patientia Iudæorum omnes iniquas perſecutiones tolerarit, quando eum truculento vultu contuebantur, quando dæmonio obſeſſum dicebant, quando nunc lapidibus eum obruere, nunc de monte præcipitare ſatagebant. Eſto & tu ergo patiens in omnibus ijs, quæ tibi occurrunt moleſtijs: atque æquabilem te præbeto, modeſtum & quietum in omnibus quæ obijciuntur tibi vel impinguntur.

Tertio contemplare, quanta fuerit eius patientia in domo Pilati, quando tot conficta mendacia & iniquas calumnias patientiſſime ſuſtinuit. Si quando itaque tibi falſum crimen obijcitur, aut quauis alia iniuria præter meritum afficeris ita vt contemnaris, vilis, vel etiam

improbus habearis, tunc verbo illo Seruatoris te ſolare, Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum, nec ſeruus maior Domino ſuo. Et illo quod ad Pilatum dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ac proinde nec tu hic vllum quæras honorem. Ioan. 13.

Quarto conſiderabis etiam quã patienti animo probra, iniurias, atque irriſiones in domo Herodis perpeſſus ſit, & quo pacto ad Pilatum non aliter atque ſtultus aliquis & fatuus per plateas reductus, omnium riſibus fuerit expoſitus, neque in his omnibus vel verbulum vnũ reſponderit, aut vllum impatientiæ ſignum exhibuerit. Sic tu quoque patienter taceas, etiam ſi ob id ſimplex, rudis, vilis, imperitus, ac ſtultus reputeris.

Quinto meditare, quanta crudelitate ſponſus, atq; Seruator animæ tuæ, columnæ alligatus, quanta

patientia duriſſima illa verbera propter te ſuſtinuerit. Diſce igitur etiã tu cõfuſionem omnem quocunque modo ea tibi acciderit, non ſolum infracto animo tolerare, ſed ob Chriſti amorem libenter illi teipſum ſubijcere. Diſce omnem incommoditatem, dura verba, & quidquid tibi aduerſi acciderit æquanimiter ſuſtinere Diſce nec verbera, ſi quæ Chriſti amore inferantur, refugere, memor tot, tantarumque plagarum, quas redemptor tuus Chriſtus amore tui accepit.

Subiunges Deinde precationem eiuſmodi.

Dnmine Ieſu Chriſte patientiæ ſpeculum, & auctor omnium bonorum, qui tener infantulus circuncíſionis dolorem patientiſſime tuliſti, in omnibuſque Iudæorum conuicijs, & quas intulerunt plagis atq;

ctiris flagellis, infractum ſemper ani mum & benignum exhibuiſti: Obſecro, vt hanc mihi infundas gratiã, qua ſumma conſtantia, quæ Chriſtianum hominem, officiumq́ue meum decent perficiam, iniurias omnes illatas fortiter perferam, neque prorſus ad vllas aduerſitates commouear, ſed æquabili ſim animo, tam in contrarijs, quàm rebus ſecundis. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus in ſæcula benedictus, Amen.

DIE MERCVRII
de obedientia.

PRimo hic de obedientia trium Regum cogitabis, qui ſtatim viſa ſtella, regnis, diuitijs, patriaq́ue relictis ad exteras regiones profecti recens natum Regem inquiſiuerũt, inuentumq́ue oblatis muneribus proſtrati in terra adorauerunt. Et

tu igitur in primis ſumma diligentia internas inſpirationes, & ſancti ſpiritus pias ſuggeſtiones obſeruato, deinde ſedulo quod admonent, perficito, Deoq; voluntatem tuam in omnibus offerre ſtudeto.

Secundo ad Chriſti Domini tui obedientiam attende, quòd nulla in re ſibi Chriſtus pepercerit, vt patris voluntatem perficeret in ieiunijs, in vigilijs, orationibus, concionibus fatigationibus, quas pro conuertendis peccatoribus perpeſſus eſt. Quid multis? Adeo prompte Patri in omnibus obtemperauit, vt dicere ſit ſolitus, meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei, &c. Neq; tu igitur laborem vllum detractes, qui tibi ex obedientia obeundus eſt, nec vllis impendiis parcas, vt proximi ſaluti conſulas, quantumuis id tibi moleſtum videatur.

Tertio obedientiam ſummam Chriſti ſeruatoris admirare, quam

non ſolum Patri æterno ad mortẽ vſque crucis prȩſtitit: verum etiam impijs tortoribus, quando illis purpuram induentibus morem gerebat, iuſſus ſedere obtemperabat, imponentibus coronam ſpineam inclinabat caput, & arundinem contumelioſe oblatam, benigne ſuſcipiebat, atque ita in cæteris quantumcunque duris, & acerbis prompte obſequebatur. Libenter igitur tu quoque alijs obtempera in ijs, quæ ſalua bona conſcientia, ac citra peccatum vllum facere queas, & facilem, ac promptum te illis exhibeas, qui operam tuam expetunt, in quocunque negocio, quantumuis etiam moleſto.

Quarto illam quoque non leuiter pertranſeas obedientiam, qua ad præſidis Pilati iuſſionem ad populum ridendus, ab omnibus rex gloriæ proceſſit, ludicra illa purpura indutus, ſpinea corona redi-

mitus, arundinem manibus geſtans, totoq́ue corpore miſere dilaniatus. Quanta hic confuſione perfundebatur omnium ludibrijs expoſitus, quamq́; grauiter aures eius percutiebant crudeles illæ, duriſſimæque voces, quibus omnes illi acclamabant: Crucifige, crucifige eum. Eſto igitur & tu obediens in toleranda quauis confuſione & contumelia, a quocunque ſiue meritò, ſiue immeritò illata.

Quinto cogitabis, quanta obedientia ſummus ille iudex viuorũ & mortuorum, iniquam mortis ſententiam ſuſceperit ab Ethnico & impio iudice. Ideo & tu Dei in primis, deinde maiorum tuorum voluntatem in omnibus lubens perficias, ad mortem vſque obedire paratus eſto, nihil vana aliorum iudicia, nihil verba aliorum reueritus, a cœpto deſiſtas, aut minus ſyncere quippiã agas, quin potius tibi per-

ſuaſum

ſuaſum habeas, hanc Dei eſſe voluntatem, nec quemquam in te vllam habere poteſtatem, quæ non ſit data deſuper.

Orabis denique tali modo.

Domine Ieſu Chriſte, ſumme totius orbis Imperator, cui ad nutum omnia obediunt, cui ſe Reges inclinant, & cui ſubſunt cunctæ prorſus creaturæ. Rogo te per inſignem illam obedientiam, qua te totum ita Patris voluntati ſubdidiſti, vt fatereris eſſe cibum tuum, eius iuſſionem implere. Neque illi tantum paruiſti, verùm etiam hominibus quantumuis improbis, vt iudici Pilato in ſuſcipienda mortis ſententia, & impijs tortoribus in his quæ ad inferendas pœnas inique præcipiebant. Rogo, inquam, vt gratiam mihi largiaris, qua tuis in primis ſanctiſsimis mandatis,

& pijs internis Spiritus ſancti ſuggeſtionibus obtemperem, cęcam, velocem, alacrem, atque humilem obedientiam ſuperioribus meis libenter præſtem. Qui viuis & regnas cum Deo patre, &c.

DIE IOVIS de amabili benignitate Chriſti.

PRimo cõſidera, quàm amabili Chriſtus benignitate, in illius ſenis Simeonis vlnis pręſentatus in tẽplo requieuerit. Precare ipſum, vt in vlnis animę tuę quieſcẽs, dulcedinẽ cordis tibi largiatur, & benignitatẽ amabilẽ, qua cũ omnibus hominibus ſuauiter & amanter verſeris.

Secundo, benignitatem illam tecum expendas, qua ſimplicium diſcipulorum, adeoq; ipſius proditoris Iudæ pedes, poſitis in terram genibus, & lauerit, & terſerit, &

oſculatus ſit. Qua etiam Apoſtolis & nobis omnibus in perpetuã ſuæ paſſionis, ſuæque erga nos immenſæ charitatis memoriam, ſeipſum in ſacramento Euchariſtiæ dederit: qua denique benignitate eoſdem ob diſceſſum, paſſionemq; ſuam iam contriſtatos in extrema cœna conſolatus ſit. Da ergo operam, benignum, & affabilem te exhibere omnibus hominibus, etiamſi duro & alieno a te animo eſſe videantur.

Tertio conſidera, quam benigne ingens peccatorum noſtrorum põdus in ſe ſuſceperit, ponderoſam illam crucem in terram accliuis benigne portarit, quamq; amice ad mulieres conuerſus eas compellauerit, dicens: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, &c. Proinde hilari, ac benigno animo iugum Domini ſeruatoris, ſine obmurmuratione ſuſcipito, neque vnquam tibi plus

impoſitum eſſe ca uſeris, quam merueris, aut ferre queas. Præterea ſi quandoque aliquis operam tuam depoſcat, non te moroſum aut diffi cilem, ſed benignum exhibeas: nec deſidera, vt quis tibi compatiatur, quin potius tu aliis omnibus compatere ac ſubueni, quoad eius fieri poterit.

Quarto expende, qua benignitate iamiam cruci affigendus, crudeles illos tortores iuuerit, dum illi veſtes vulneribus inhærentes tam immaniter detraherent. Sis itaque etiam tu benignus illis, qui vitia tua tuóſque defectus tibi aperiunt, nec tantiſper expectes ea exuere, donec te neceſſitas compellat, aut quis te acriter vrgeat; ſed illicò vt aduertis quid alius in te reprehendere velit, non te excuſa, verum agnita culpa tua, id omni conatu emendare contende.

Quinto conſidera, quàm beni-

gne & amanter ſaluator tuus, In crucem tam horrende proiectus, extenderit brachia ſua, diris clauis cruci affigenda: quamq́ue benigne eos aſpexerit, qui illum tam crudeli ac ignominioſa crucis morte afficiebant. Quocirca tu quoque benignũ, blandumq́; , atque amabilem vultum ijs etiam omnibus præbeas. qui tibi vel maxime aduerſantur: lętoq́ue animo de manu Domini ſuſcipito, quicquid aduerſitatis occurrit. Et vires denique tuas omnes alacriter libenterq́ue in Dei ſeruitium, fratrumq́ue tuorum vtilitatem exponas.

Poſtea autem ſic orabis.

Domine Ieſu Chriſte benigniſſime Deus, qui ſumma ſemper amabiliq́ue benignitate erga tuos vſus fuiſti, quando infantulus in

vlnis Symeonis requieſcebas, quando Apoſtolorum lauabas pedes, quando crucem ponderoſam baiulans ad mulieres conuerſus eas conſolabaris, veſtibus ſpoliabaris, & manus crudeliter perforandas porrigebas: Precor te, vt etiam mihi benignitatem amabilem conferas, qua cum omnibus, prout conuenit, conuerſer, animi ſumma dulcedine cum illis agam; nec aduerſantibus ſim aſperior, quàm fauentibus; verùm amabilem, dulcemq; benignitatem omnibus exhibeam. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, & Spiritu ſancto Deus in ſęcula benedictus. Amen.

DIE VENERIS,
De inæſtimabili, ardentiſſimaq; charitate Chriſti Domini.

PRimo, cogita diligenter, quanta Chriſtus Dominus accenſus

fuerit charitate, quando, vt te hæredem conſtitueret regni patris ſui, profugus eſſe voluerit in terra aliena, furorem Herodis in ſumma paupertate infantulus adhuc tenerrimus cum matre declinans. Fugias igitur qualibet tentatione ingruente, in amabile cor Chriſti, eiuſque aperta vulnera, in ijs ineffabilem eius bonitatem, atque charitatem contemplare. E regione autem tuam abiectionem, malitiam, & infidelitatem, vt ex tali conſideratione ſuperbus tuus, arroganſq; animus deprimatur, & ad Deum redamandum inflammetur.

Secundo, perpende etiam, atque etiam, quàm ſingulari dilectione omnes homines proſequatur, dum cunctos, quibuſcunque premantur miſerijs, aut malis, amanter ad ſe inuitat, vt eos ſubleuatos recreet: Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis,

& ego reficiam vos. Tu itaq; magna cum fiducia ad ipſum accede, quantumcunq; te peccata grauent, ſperás, ſi modo illi obtemperes, certo te liberatum iri. Atq; etiam da operam, vt Dei amorem in temetipſo experiare, qui efficiet, vt nihil tibi durum ſit, aut moleſtum iuxta illud Diui Bernardi: Amanti nihil eſt difficile.

Tertio, conſidera tecum ſedulo, quanta charitate animæ tuæ ſponſus vires ſuas omnes tribus continuo horis in ligno crucis ſuſpenſus exhauſerit, atque ita plane ſacratiſſimum eius corpus exaruerit, vt nihil in eo remanſerit humoris. Tu ergo, vt tanto amori aliquid rependas, in eius ſeruitium nihil tibi parcas, ſed in ijs, quæ grata illi fore cognoſcis, libenter vires tuas omnes eius amore conſumas. Cura autem, ſedulo, ne eas in proprio tuo iudicio, atq; voluntate, & prauis concu-

piſcentijs adimplendis expendas.

Quarto, quanto amore ſeptem illa poſtrema verba cruci affixus protulerit, perpende, quibus ille nobis immenſam charitatem, quã cordi incluſam tenebat, teſtatam reliquit. Eſto igitur in verbis tuis Chtiſti amore tam modeſtus, atque maturus; tamq; verax, humilis, & benignus, vt facile quiuis animaduertere poſſit, te verum Dei timorem, & amorem in corde geſtare.

Quinto, diligenter tecum animo verſa, quàm ineffabilis fuerit illa charitas, qua Deus ſummus in maximis cordis anguſtijs, & totius mundi opprobrijs, pro te viliſſimo vermiculo, illam crucis acerbiſſimam mortem perpeſſus fuerit. Tu, qui nihil dignum tanto amore referre potes, hoc tantum conare, vt ſenſualem omnem affectionem in te mortifices, radices vitiorũ euellas, atque ita te componas, vt mun-

do mortuus, ſoli Chriſto viuas, eiq́; te totum dedas, qui etiam ad extremam vſq; ignominiam, ſummoq́; cruciatu ſeipſum totum tibi impendit, quando & ſanguinem vniuerſum in tuam vtilitatem profudit, & animam deniq; ipſam pro tua ſalute liberaliſſime dedit.

Hanc demum ſubiungas orationem.

Domine Ieſu Chriſte, Charitas increata, qui tanto amore ſalutem noſtram ſemper ſitiuiſti, vt veluti profugus in aliena terra peregrinari dignatus ſis, cuius eſt terra omnis & plenitudo eius: vt præterea omniũ hominum, qui ad te veniunt, miſerias & calamitates ſuſtollere promiſeris: denique poſt immenſos noſtri cauſa exantlatos labores etiam ſanguinem vniuerſum profundere, & animam pretioſiſſimam pro no-

bis ponere volueris: per hæc te ſupplex oro, vt mihi veram charitatẽ infundas, qua te in primis ardentiſſime diligam, deinde proximum omnem in te & propter te ſummo cõplectar amore, nihilq́ue mihi in rebus vllis parcam, quibus vel tibi vel proximo obſequium aliquod exhibere queam, quantumuis id durum ſit mihi atque moleſtum. Qui viuis & regnas cum Deo patre & Spiritu ſancto Deus in omnia ſæcula benedictus, Amen.

DIE SABBATI,
De liberalitate & cõpaſſione Chriſti Seruatoris.

PRimo illam liberalitatem expende, qua ſeipſum puer duodecim annorum in templo manifeſtauit hominibus, declaraturus, quam ob cauſam in hunc mũdum veniſſet, nimirum vt cœleſtis ſa-

pientiæ ac diuinæ gratiæ ſuæ theſaurum liberaliter nobis communicaret. Semper igitur tibi ob oculos pone, qua de cauſa in hunc mundum veneris, videlicet non vt tua conſecteris commoda, aut tibi plus æquo indulgeas; ſed vt te potius deſeras, te totum diuinæ voluntati, & obſequio proximorumque tuorum vtilitati offeras, atque aliorum commoda tuis proponas.

Secundo, vt ſummam Chriſtus Seruator tuus liberalitatẽ omnibus exhibuit, aduerte. aliquando enim in medio populi ſtãs, ita clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, paratum ſe oſtendens omnibus omnium neceſſitatibus ſubuenire. Idcirco eſto etiam tu erga omnes liberalis. Et ſi quando accidat, vt opere illis ſuccurrere nequeas, tunc verbis pijs, atque indicijs alijs exterioribus talem te alijs exhibeas, vt vel ſic cordis tui liberalitatem declares.

Tertio conſiderato, vt liberaliſſime tibi cordis ſui pretioſum ſanguinem propinarit, quando ſacro latere aperto, quidquid reliquum erat in corpore ſanguinis pro fudit. Tu viciſſim te illi gratum prębeas, atque ob eius amorem libentiſſime in omnia, quæ etiam naturæ moleſta ſunt, effunde.

Quarto, de ſummis & internis ſacratiſſimæ matris doloribus diligenter cogita, quanta videlicet cordis triſtitia toto illo paſſionis tempore affecta fuerit, quando oculis ipſa ſuis dilectisſimum filium ſuũ in cruce ſuffixum conſpiciebat, quã do in tantis eum anguſtijs videbat, & inter tantos cruciatus morientem cernebat, quando denique poſt mortem ſinu ſuo eum complexa, omnia eius vulnera maximo animi mœrore cõtemplans lachrymis irrigabat. Ac proinde tu de ſpõ ſi tui paſſione ſæpius cogitans,

ſedulo eã mẽte reuolues, Chriſto eiuſq; benedictæ matri cõpatere, dolorẽ aliquẽ in te excitans, quòd tam ingentes cruciatus in gratiam tui ſeruator, Chriſtus fuerit perpeſſus. Geras te interim apud omnes modeſtum, atque mãſuetum, citra vllam animi vacillationem, ac dubitationem, tã in aduerſis, quàm proſperis, ac ijs omnibus, quæ vel lætitiam, vel mœrorem adferre poſſunt.

Quinto deniq; ꝑpẽdas, quãto dolore matris, ac aliorũ piorũ hominũ Chriſt' Dei filius ſepultus ſit. Tu igitur dabis operã, Chriſti Dñi tui paſſionẽ in corde geſtare, eamq; ſępius mẽte reuoluere. Pręterea conſcientiæ tuæ ſepulchrum frequenter vera cõtritione ac oris confeſſione purgare. Deniq; voluntarie, ac liberali animo in memoriam paſſionis Chriſti pœnitentiam peccatis debitã exſoluere. Omnia in laudẽ Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui cum pa

tre & ſpiritu ſancto regnat Deus in ſęcula benedictus, Amen.

Poſtremo eiuſmodi ad Deum orationem fundas.

Domine Ieſu Chriſte, potentiſſime, atque liberaliſſime Deus, qui ſumma liberalitate te ipſum totum nobis donaſti, quando in maximis laboribus & corporis moleſtijs nihil tibi parcens, omnes ſitientes ad te venire iuſſiſti, vt aquæ ſalutari eos potares, & liberaliſſime cœleſtis ſapientiæ, diuinæque gratiæ theſaurum illis communicares: denique ſanguinem vniuerſum illum etiam qui in corde, interioribuſque viſceribus latebat, vt te totum nobis impendere non dubitares, liberaliſſime effudiſti. Oro, vt mihi liberalem des animum, quo non ſolum in tuum obſequium, ſed in auxilium quoque ſalutemque proximo

rum me totum, meaq; omnia liberaliter impendam. Fac etiam, precor, vt ſedulo, & continenter paſſionem tuam, doloremq; ſanctiſſimæ matris in corde geſtem, quorum meditatione vitam meam Chriſtiano homine, & vocatione mea dignam traducam, animũq; meũ ita componam, vt dignus ſim in quo per gratiam tuam quieſcas, & habites, vna cum Deo patre, & Spiritu sãcto in omnia ſęcula, Amẽ.

MODVS TEMPORE MAtutino Deo ſe commendandi.

MAtutino tempore, vt recte te Chriſto commendes, pauca quædam tibi ſeruanda erunt. Primum, vt ſurgens initio te ſigno Crucis munias: neque ſtatim ad fabulas, aut inanes cogitationes te conuertas; ſed in ſilentio, mente ad Deum eleuata, ad proximam te præpares

præpares orationem. Secundum, vbi in genua te oraturus prouolueris (tali enim ratione orandus eſt Deus) gratias agas in primis Deo, deinde ſacratiſſimæ Matri, Angelo cuſtodi, omnibusque ſanctis, de nocte tam feliciter tranſacta, quòd mortuus in peccatis non fueris (quemadmodum multis contingit) ſed ad hunc diem ſeruatus ſis, vt per fidem, pœnitentiam, ac Chriſtianæ legis opera gratiam Dei tibi concilies in hoc breui & incerto vitæ curriculo. Orabisque vt diem iſtum tranſigas ad Dei gloriam, animæque tuę ſalutem. Tertium, vt ſerio tecum proponas die illo præſenti nihil velle committere, quo Deus offendatur. Proinde in virtute aliqua te conſtitues exercere, quam in pręcedentibus meditationibus inuenire queas. Conſultum fuerit denique, obiter horas diei percurrere, & generatim, quoad e-

ius fieri poteſt, quid toto die facturus ſis, tecum ſupputare, Poſtremo hac vel ſimili oratione ad Deum cóuerſus ſupplex eius implores auxilium.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti, tua nos hodie ſalua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.&c.

Sancta Maria, & omnes ſancti intercedant pro nobis ad Dominum,vt nos mereamur ab eo adiuuari & ſaluari. Qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Dies & actus noſtros in ſua pace diſponat Dominus omnipotens, Amen.

✠

Quid in Progreſſu diei ſubinde agendum.

INterdiu dabis operam, vt eorũ, quæ mane propoſuiſti memineris, & bene agendi propoſitum ſubinde renoues, atque frequentiſſime breui admodum ſeu iaculatoria oratione animum ad Deum cõuertas vt te illi ſemper cognoſcas eſſe præſentem, & propterea eum continenter ob oculos habeas: Si quando autem aliquid aggrediundum tibi erit, ita cum Eccleſia precari aſſueſce.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Studia vero tua aggreſſurus, hanc piam orationem, a B. Thoma compoſitam non infructuoſe præmittes.

CReator ineffabilis Domine meus, & Deus meus, qui de theſauris tuæ ſapientiæ nouem angelorum choros condidiſti, & eos ſuper cœlum Empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſime partes vniuerſi diſtribuiſti: tu inquam, qui verus fons luminis & ſapientiæ diceris, atque ſuperemineens principium, infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuæ radium charitatis, duplices a me remouens tenebras, peccatum ſcilicet & ignorantiam in qua natus ſum. Tu qui linguas infantium facis diſertas, linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam

tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, & loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.&c.

Meditatio Veſpertina, quæ erit conſcientiæ diſcuſio, & examen.

Veſperi priuſquam te ad quietem compones conſcientię tuæ examen præmittes. Quandoquidem (vt recte admonet D.Chryſoſtomus) optimum eſt, vt non ſingulis hebdomadis modo, verum quotidie etiam vnuſquiſque ſeipſum conſiderans, ab anima ſua omnem negligentiam repellat, & bonorum poſſeſſionem acquirat. Neqꝫ incommode cecinit poeta: Non

Homil. 15. in Geneſim.

prius in dulcem declines lumina ſomnum, Omnia quàm longe reputaueris acta diei. Modus autem iſtius examinis his punctis continebitur: Quorum primum eſt: vt, poſtquàm ad orandum te compoſueris, humiliter gratias agas Deo pro omnibus beneficijs quibus hactenus te cumulauit. Atque pro his initio, quæ tibi cum cæteris hominibus communia ſunt: quòd videlicet te creaturam ratione prædi lam condiderit, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non vero brutum animal quòd immenſis labori bus, doloribus, & ſanguine denique ſuo te ex inferni faucibus quibus tuis meritis deſtinatus eras eripuerit: quodque vitam æternam tibi, ſi præceptis eius amorem geſſeris, largiri paratus ſit, atque promiſerit, & cætera. Deinde ea quæ peculiariter tibi, non autem reliquis omnibus conceſa ſunt expendens, gratias

ages, quòd te in ſpiritu & aqua baptizauerit, ignorantem docuerit, ac fidei lumine illuſtrauerit, ab hæreſi te ſeruauerit: parentes, præceptoreſque catholicos & pios, tuique amantes dederit, maximam ſemper occaſionem obtulerit Deum ex animo diligendi, eique ſeruiendi, Atq; cum Angelos nobiliſſimos ob vnam ſuperbiæ voluntatem è cœlo, Adamum autem ob inobedientiæ peccatum è paradiſo eiecerit, nec non & plurimos homines nunc ob peccata, tuis tamen minora, ad profundum inferni iuſtiſſime deturbarit, perpetuis ignibus cruciandos: tibi tamen hactenus pepercerit, toties in peccata lapſum clementer eripuerit. peccataque remiſerit, quin immo pretioſo illo ſuo corpore & ſanguine cibuerit, die quoque hodierno iam exacto, in quo multi propter peccata ad inferos præcipitati ſunt, cuſtodierit. Hæc & ſi-

ſimilia plura in te Dei beneficia agnoſces. Maxime tamen peculiares gratias ages de beneficijs illo die peculiariter tibi impenſis.

Secundum, vt deinde preceris pro gratia, qua recordari, deflere expellere,& expiare vitia illa poſſis, in quæ die illo ex negligentia ſupina vel malitia,incidiſti.

Tertium, vt cogites quid ab ea hora, qua mane ſurrexeras, ad hoc vſque tempus commiſeris, ſingulas horas percurrens,quibus partim oraſti,partim ſtuduiſti,cum alijs domi foriſúe conuerſatus es. Vide bis an Deum,vel proximum cogitatione,verbo, opere, aut omiſſione ſeu negligentia offenderis, vtpote tempus negligenter tranſigendo,frigide atque parum deuote orando, & id genus alia, quæ tui ſunt officij, negligendo.

Quartum, vt ex conſideratione tantæ tuæ ſocordiæ, qua tam fre-

quenter in eadem laberis vitia, excites tibi pudorem & metum, cogitans iniquum admodum eſſe, clementiſſimum illum Dominum tuum tam facile,ac leui de cauſa offendere, & teipſum tãtis animę tuę periculis exponere. Perpendas enim ſedulo, ſi ex vita tibi hac nocte migrandum foret, quale eſſes iudicium expectaturus, de omni etiam verbo otioſo rationem reddi turus, & ad quem locum deducendus. Proinde a Domino tuo ſollicite veniam poſce delictorum,promittens te maiori diligentia, vitęq́; emendatione commiſſa & neglecta pro virili tua compenſaturum. Atque ora, vt ſi hac nocte hinc te diſcedere velit, clementer pro ſua immenſa miſericordia tecum agat: ſin velit diutius vitam tuã proroga re, gratiã largiatur, ſobrie, iuſte, & pie viuendi in hoc ſęculo. Finies tunc oratione Dominica & Angeli-

ca ſalutatione, precationem hanc Eccleſiæ ſubiungens.

Salua nos Domine vigilantes cuſtodi nos dormientes, vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

Viſita, quæſumus, Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Chriſto gloria.

MEDITATIO DE BREVI VITA HOMINIS.

DIES hominis ſicut vmbra ſuper terram: & nulla eſt mora, & tunc proprie nihil eſt cum ſtare videtut. Cur ergo theſaurizat in terra homo, cum ſine dilatione tranſeat, & illud, quod colligitur, & ipſe, qui colligit? Et tu homũcio, quẽ fructum expectas, in mundo, cuius fructus ruina, cuius finis mors eſt? Vtinam ſaperes, & intelligeres, ac nouiſſima prudẽter prouideres. Scio quendam, qui per annos plurimos tecum familiariter vixit, ad menſam tuam ſedit, cibum de manu tua ſumpſit, in ſi-

nu tuo dormit : cum voluit, tecum colloquium habuit, hic iure hæreditario ſeruus tuus eſt. Sed quia ab ineunte ætate delicate nutriſti eum, & virgæ pepercisti, contumax effectus eſt. Leuauit calcaneum ſuum ſuper caput tuum,& te in ſeruitutē redegit,& tui crudeliter dominatur. Sed fortaſſe dices: Quis eſt hic? vetus homo tuus, qui cōculcat ſpiritū tuum: qui pro nihilo habet terram deſiderabilem: quia ſola, quæ carnis ſunt ſapit. Homo iſte a natiuitate cęcus eſt,& ſurdus,mutus,inueteratus dierum malorum: rebellis virtuti & veritati: inimicus crucis Chriſti: deridet innocentem, & ſimplicitur tranſeuntem: ambulat in magnis,& in mirabilibus ſupra ſe. Arrogantia eius eſt pluſquā fortitudo eius, nullum reueretur: dicit tamen in inſipientia ſua, non eſt Deus: tabeſcit bonis,& malis paſcitur alienis: immundis cogitationibus paſcitur, nō

fatigatur in illis trangrediens vſque ad finem :diſpergit,& diſſipat propria,ſicut prodigus:cupit,& rapit aliena ſicut auarus: turpitudinem & ignominiam congregat ſibi ſimulans,& callidus prouocat iram Dei. Homo iſte totus in peccatis natus eſt:& ſic nutritus amicus iniquitatis filius mortis,vas iræ in contumeliá factus ad interitum. Qui cum talis ſit enarrat iuſtitias Dei,& aſſumit teſtamentum eius per os ſuum. Odit diſciplinam , proiicit Dominũ ſuũ poſt dorſum:cum videt furem,currit cum eo, & cum adulteris portionem ſuam ponit. Aduerſus filium matris ſuæ ponit ſcandalum, ſuper te etiam theſaurizat iram in die irę: vult a te hęreditatem tuam tollere, & deſuper terram auferre. Et tu tantam iniuriam non vindicas, ſed diſſimulas:nec ei verbum durum loqueris,nec vultum oſtendis,ſed blandienti tibi arrides,ludis cum illuſo-

re:neſcis quia Iſmael eſt qui tecum ludit. Ludus iſte non eſt pueritiæ, nec ſimplicitatis, vel innocentiæ, ſed illuſio eſt animæ, ſed perſecutio, ſed mors, iam te in foueam, quam fecit præcipitauit: iam effœminatus es, iã iugo miſerrimæ ſeruitutis præſſus ſub pedibus eius miſere & viliter cõculcaris. O miſer & miſerabilis homo, quis te liberabit de vinculo improperii huius? Exurgat Deus, & cadat armatus iſte, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor ſui, amicus mundi, ſeruus diaboli. Quid tibi videtur? Si recte ſentis, mecum dices: Reus eſt mortis, crucifigatur. Noli ergo diſſimulare, noli differre, noli parcere, ſed feſtinanter, audacter, inſtanter crucifige hominem iſtum. Sed cruce Chriſti in qua eſt ſalus & vita, ad quem ſi ex corde clamaueris, cruci fixus tuus audiet te benigne reſpondens: Hodie mecum eris in paradi-

ſo. O Chriſti pietas, o inopinata ſalus miſeri. Tam gratuita eſt & probata dilectio Dei, tam ſtupenda dulcedo, tam inopinata dignatio, tam inuita manſuetudo, vt qui ad eum clamauerit, exaudiat illũ, quoniam miſericors eſt. O quanta eſt miſericordia Dei: quàm ineffabilis mutatio dexteræ excelſi: Heri eras in tenebriſ, hodie in ſplendore lucis: heri in ore leonis, hodie in manu mediatoris: heri in porta inferni, hodie in delicijs paradiſi. Sed quid proſunt hæ literæ admonitionis, niſi deleas de libro conſcientiæ tuæ literas mortis? Quid proſunt hæc ſcripta, lecta & intellecta, niſi temetipſum legas & intelligas? Da ego operam internæ lectioni, vt legas, inſpicias & cognoſcas teipſum: legas vt diligas Deum, vt pugnes, & vincas mundum & omnem inimicum, quatenus labor conuertatur in requiem, luctus in gaudium

& poſt tenebras huius vitæ videas ortum ſurgentis auroræ. Videas etiam meridianum ſolem iuſtitiæ, in quo ſponſam cum ſponſa proſpicies, vnum eundemque Dominum gloriæ, qui viuit & regnat per infinita ſęcula.

FINIS.



PARMAE.
Apud Seth Viottum.
M. D. LXV.

P. Lisini 1830

Digitized by Google

Digitized by Google